ctationem immaturis, dubiis fortem animum, experientemque
A adhibebat. *Æmil.lib.*1.

TIMORIS. VINDICTA HONESTE

NON DILATA.

TIRGATAO Mæotis nupſit Hecatæo Regi Indorum, qui paulò ſuprà Boſphorum incolunt. Hunc Hecatæum ejectum regno reduxit Satyrus Boſphori tyrannus, ſuamque ei filiam in matrimonium dedit, priorem jubens interficere. Ille cùm plurimùm amaret Mæotim, occidere quidem eam non potuit, ſed in munitiſſimum caſtellum incluſam juſſit in cuſtodia vitam agere. Tirgatao clam cuſtodibus aufugit, & pervenit ad Ixomatas, ubi erat regia amicorum ejus, & cognatorum. Succeſſori patris in regno nubens Ixomatas ad bellum commovit, multaſque bellicoſiſſimas circa Mæotim gentes evocavit, in primis autem Hecatæi regionem incurſionibus infeſtabat, Satyrique regnum vaſtabat: ſic ut utrique, miſſis qui ſuppliciter rogarent, obſidem Satyri filium Metrodorum darent, ac pacem peterent. *Polyæn.lib.*8.

B SEMIRAMIS Aſſyriorum regina, cùm ei circa cultum capitis occupatæ nunciatum eſſet, Babylonem defeciſſe: altera parte crinium adhuc ſoluta, protinus ad eam expugnandam accurrit: nec priùs decorem capillorum in ordinem, quàm tantam urbem in poteſtatem ſuam redegit. Quocirca ſtatua ejus Babylone poſita eſt illo habitu, quo ad ultionem exigendam celeritate præcipiti tetenderat. *Val.lib.9.c.3.*

C. JUL. Cæſ. audiens in Gallia aliquot militum agmina conciſa eſſe, juravit ſe non antè capillos raſurum, quàm ab interfectoribus pœnas repetiviſſet. Hæc res magnam ei benevolentiam omnium conciliavit. *Polyæn. lib.*8.

DILATA, DIU SERVATA, HONESTE.

ÆGYPTIORUM lex ſtatuit, ut prægnans, ſi rei capitalis judicata ſit, dum eſt enixa, in cuſtodia habeatur. *Plutar.de Sera Dei vindicta.*

NITETIS Cyro Perſarum Regi nupta, tanquam AMASIDIS Ægyptiorum Regis eſſet filia, patris Apriæ mortem, qui ab Amaſide ſervo occiſus erat, longo pòſt tempore ulta eſt. Cùm
C enim multorum liberorum mater eſſet facta, confeſſa eſt Cyro, Apriem ſuum patrem fuiſſe, Dominum Amaſidis, itaq; pulchrum fore, quamvis jam mortuus ſit Amaſis necem patris ſui, in filio ejus Pſammeticho ulciſci. Morem ei geſſit Cyrus: & licèt in expeditione diem ſuum obierit, tamen Ægyptiorum imperium in Apriæ ſtirpem vindicavit. *Polyæn.lib.*8. *Herod.lib.*3. pro Cyro Cambyſem habet.

SCEDASO Leuctricis Bœotiis domicilium habenti filiæ fuere Molpia, & Hippo. Eas jam nubiles Lacedæmonii homines, Parathenidas, Phrudarchidas, & Parthenius per vim vitiarunt. Puellæ tam inſignem contumeliam minimè ferendam ratæ, laqueo vitam finierunt. Ipſe etiam Scedaſus, cùm judicium poſtulanti datum non fuiſſet, Leuctra reverſus, voluntaria morte dedecus effugit. Huic Scedaſo Thebanorum Dux Epaminondas victis ad Leuctra Spartanis, poſt multos annos parentavit, votaque nuncupavit: profeſſus, prœlium non magis pro Thebanorum ſalute, quàm eam injuriam ulciſcendi cauſa commiſſum iri. Conſerta cum Spartanis manu, maxima eos affecit clade. *Pauſan.in Bœot.* Meſſenii tricenteſimo exi-
D lii anno, ab Epaminonda Thebano revocati, Meſſenem urbem ad Ithonem condiderunt, & veteris odii memores, Spartæ capiendæ ſocios ſeſe Antigono Regi Macedonum, & Arato Sicyonio præbuerunt. *Pauſ.in Meſſen.*

Perſarum ira everſis ſub XERXE Athenis, Thais meretrix, impetrata ab Alexandro M. licentia, multis poſt annis, incenſa Perſepoli, talionem rependit. *Plut.in Alex. Diod. lib.*17.

ALEXANDER M. capta Tyro, veteris impietatis cauſa, qua olim ſervorum conſpiratione omnes liberæ fortunæ viri perierunt, ſervique uxores, & filias eorum, quos perdiderant, duxerunt, omnes Tyrios ex iſtis ſervis longa ſerie progenitos crucibus, ſervorum inſtar ſufficit, unica Stratonis, qui ſolus ex illa ſervorum tyrannide cum filio ob mite imperium remanſerat, familia ſervata. *Sab.lib.9. En.*1.

Idem BRANCHIDARUM urbem ſuſtulit, civeſque omnes ſine diſcrimine ætatis delevit: quòd templum Mileti eorum proavi prodidiſſent. *Plut.de Tarda Dei vindicta.*

THEODOSIUS Magnus cùm præcipitantiam iræ Theſſalonicenſis graviter afflixiſſet, legem tulit de differenda in tertium diem principum ſententia, quo miſericordiæ, vel pœnitentiæ E locus daretur. Ipſe quin etiam deinceps illud Auguſto ab Athenodoro philoſopho datum conſilium ſecutus eſt, ut nihil iratus ſtatueret priùs, quàm Græcas omnes literas recenſuiſſet. *Platina.*

Cùm CLODOVEUS Francorum Rex, victo Syagrio, Ægydii Regis F. Sueſſiones illi faventes diripuiſſet: Rhemis finitima civitate temperatum fuit: niſi quòd miles quidam Francus è templo calicem rapuerat. D. Remigius Epiſcopus ſacerdotes miſit, qui ea de re apud Clodoveum licèt gentilem agerent, cauſamque religionis Chriſtianæ defenderent. Rex ipſe in dividenda præda auctor erat, ut calix ſeponeretur Remigio reddendus. Miles ferociter negat religioni alienæ reſtituendum, bello, virtuteque partum: ſimul, ne quid furoris deforet, calicem haſta petit. Diſſimulavit in præſentia iram rex: reſtituitur calix ſacerdotibus. Anno circumacto cùm recenſeretur exercitus, idemque miles in armis prodiret, tum Clodoveus haſtam ejus, quaſi inſpecturus comprehendiſſet, inutilem bello dictitans, in terram projecit: illumque eveſtigio eam tollere conatum, demittentemque ſe, elata altè ſecuri, quo telo reges utebantur, in caputque dejecta, ſtravit, repetitumque interemit. *Æmil.l.*1. F

GEORGIUS Patricius Opitergium, cæteraſque citrà oppidum Forojulii civitates nomine Imperatoris adminiſtrabat. Hic ſimulata amicitia Tatonem, Giſulfi Forojulienſis Ducis à Cacano cæſi filium, ſe filium adoptare velle, cædenda Longobardorum more barba, dixit, atque ipſum propterea Opitergium accerſivit. Ubi verò credulus ille cum Cacone fratre, atque alio non indecoro comitatu urbem inivit, continuò portas juſſit occludi, atque in eos à parata armatorum multitudine impetum fieri. Quòd ut Tato perſenſit, alacriter ſe cum ſuis ad prælium præparavit, ac varia per vicos, & fora urbis prælia, eaque haud incruenta commiſit. Verùm ſuperantibus oppidanis, tandem ipſe cum ſuis omnibus eſt extinctus. Gregorius capite Tatonis ad ſe delato, ne periurus videretur, barbam præcidit. Grimoaldus Longobardorum regno potitus poſt L. an. Tatonem fratrem ulturus, Opitergium delevit, ejuſque fines Forojulienſibus, Tarviſinis, & Cenetenſibus diviſit. *Sigon.lib.2.regni Ital.*

Rogatus CÆS. Fridericus III. Viennenſibus ab Mathia Corvino Ung. Rege obſeſſis auxilium mitteret: Patiantur, inquit, eam Viennenſes inediam, quam ſuum quondam principem in arce obſeſſum perpeti coegerunt. *Bonf.lib.6. Decad.*4. G

SEVERITATIS FRUCTUS BONUS. PUTA

LIBERTAS.

☞ *Ex Tit. Tyrannicidarum, huc quædam.*

APPIUS Claudius Regillanus decemvir legibus ſcribendis ſumma inter collegas auctoritate, Virginiam Virginii centurionis filiam in Algido militantis ita amavit, ut clientem ſubornaret, qui eam curam ſe ſervitium depoſceret: facilè victurus, cùm ipſe accuſator, & judex foret. Pater itaque virginis, re cognita, cùm in rem judicii ſuperveniſſet, & filiam jam addictam videret: ultimo colloquio ejus impetrato, cùm eam paulò remotius à turba ſeduxiſſet, occidit: atque corpus ejus humero gerens, ad exercitum profugit, & milites ad facinus vindicandum accendit. Itaque decemviratus tyrannicus H ſublatus eſt, Appius ipſe in carcere expiravit. *Livius.*

MICHAEL Palatin. à Turcica tyrannide aſſeruerat fortiter Walachiam: priſtinæque libertati reſtituerat: cùm non deeſſent ingratiſſimi nebulones, qui in ejus tradendi, hoſtibuſque prodendi caput, conſilia occulta agitarent. Id cùm de Cancellario Kieſſar innotuiſſet, Palatinus an. 1595. præſidia propè Danubium ad excipiendum ex improviſo irruiturum hoſtem pluribus millibus firmat, patris, patriæque proditorem cum filio digna perfidiæ pœna diſſecare mandat, miſſoquæ addictæ militiæ præfectum nuntio, primarium quendam, & ſeniorem conſiliarium Demetrium, ejuſdem facinoris complicem, fabrum, & promotorem, ibidem vita privari præcipit. *Balthaſar VValterus in narrat. Hiſt. Rueſneri.*

DIGNITAS.

RHACONES Perſa, ob ſeveritatem erga filium in judicium nurum cooptatus fuit ab Artaxerxe Rege. *Æl. lib.*1.

☞ *Conſulatur Locus de Crudelitate, Hæreticis, Martyrio.*

* Sibyl-

* Sibyllæ.

A QUÆ ET UNDE DICTÆ?

SIBYLLÆ dicuntur à σίο & βυλὴ quaſi conſilium Dei datum: Item à voce Hebraica *Kibel*, recepit, acceptavit. Unde *Kabula* ſignificat doctrinam traditam cœlitus. *S. Hieronym.* tamen *l.1. cont. Jou.* exiſtimat dictas Sibyllas quaſi σιοβύλας, καὶ Σιοβύλας, ut conſilium Dei, quaſi ſola dicatur noſſe virginitas. Æolicè enim σίος vocatur Deus: & σίος βυλαῦ conſilium Dei.

Fuerunt autem Sibyllæ non dæmonis, ſed Dei prophetiſſæ, quæ merito virginitatis, ut aſſerit ſupra *S. Hieron.* donum prophætiæ adeptæ, de futuris, ac præſertim de Chriſto tanta prænotionis certitudine, ac clarirate vaticinantur, ut præterita magis ſcribere videantur, quàm futura. Fuerunt ergo Sibyllæ mulieres vates Deo plenæ, inquit *Diod. Sicul. lib.5. Servius* 4. *Æneid. Lactant.1. divin. Inſtitut.*

QUOT NUMERO. EARUMQUE NOMINA. QUANDO, ET UBI FUERINT?

Quæ, & quot Sibyllæ, quando, & quo loco fuerint, non convenitur inter omnes. Collegit varias ſententias *Ludovicus Vi-*
B *ves cap.23. l.18. Auguſt. de Civit. Dei.*

Martianus Capella duas tantùm eſſe dicit, non decem, Erophilam Trojani Marmeſi filiam, quam eandem putat eſſe Phrygiam, & Cumæam: alteram Symmachiam Hipporenſis filiam, quæ Erythræ progenita etiam Cumis vaticinata eſt:

Plinius, auctor eſt Romæ trium Sibyllarum fuiſſe ſtatuas juxta roſtra, unam, quam Pacuvius Taurus ædil. pleb. inſtituit, duas quas M. Meſſala. *Solinus* eas nominat Cumanam, Delphicam, & Erythræam Heriphilem.

Ælian. in Var. hiſt. quatuor ponit. Erythræam, Samiam, Ægyptiam, Sardianam. Iſtis alii duas addunt, Judæam, & Cumæam. *Varro in libris rer. divinar. ad C. Cæſarem*, quatuor adjungit, ut ſint decem.

Nunnulli Græcorum conati ex Sibillis facere, quod de Jovibus, Herculibus, & aliis, qui cùm multi fuerunt, & unicum tantùm prodiderunt, varia de Sibylla ſcribunt, & multum inter ſe diſcrepantia. Alii eam Apollinis, & Lamiæ filiam volunt, alii Ariſtocratis, & Hydolis, alii Crinagoræ, alii Theodoti. Tum de patria non minus diſſidetur. Sunt qui Erythræam tradunt, ſunt, qui Siculam, ſunt, qui Sardinicam, ſunt qui Gergethicam,
C ſunt, qui Rhodiam, ſunt, qui Libycam, ſunt, qui Leucanam, ſunt qui Samiam, quæ omnia magna ex parte de Erythræa opinati ſunt, quam dicunt ante Trojana tempora fuiſſe.

Cæterùm decem Sibyllas *Varronis*, recenſebo, ut *à Lactantio* ponuntur, additis quibuſdam, ut res tota planior fiat.

Prima Sibylla fuit Perſica, cujus mentionem fecit Nicanor, qui res geſtas Alexandri Macedonis ſcripſit. Hanc eandem Chaldæam eſſe dicunt, ab aliis Hebræa nominatur, cui proprium nomen Sambetha. Noe quæ urbs eſt propè mare rubrum nata, patre Beroſſo, & matre Erymantha, cujus libri fuerunt quatuor, & viginti. De Chriſto Domino innumera cecinit, deque ejus adventu, cui cæteræ quoque Sibyllæ concinunt. Verſus hujus paſſim legebantur imperfectè: & interdum parum cohærentes, vitio non vatis, ſed exſcribentium feſtinanter, ita ut multa conjectura ſit opus, quod non ſine numine contigit, ne ab indignis illa vaticinia intelligerentur.

Altera Sibylla fuit Libyca, cujus meminit *Euripides in Lamiæ Prologo.*

D Tertia Delphica, de qua *Chryſip. lib. de divinatione*, hanc putant Delphis natam dictam Thenim, & vixiſſe ante Troicum excidium, cujus plurimos verſus operi ſuo Homerum inſeruiſſe crediderunt. Hanc *Diodorus* Daphnem Tireſiæ filiam fuiſſe refert, quam Argivi, cùm Thebas viciſſent, Delphos miſere, ibique peritior divinandi Apollinis vaticiniis facta, Dei oraculo conſulentibus edidit; idcirco Sibylla eſt ab omnibus cognominata.

Fertur & Daphne altera Ladonis Arcadis filia, Appollini adamata, quæ in laurum eſt verſa, cùm Deum averſaretur, & fugeret.

Quarta Cumæa in Italia, quam *Nævius in libris belli Punici, Piſo. in Annalib.* nominat. Hanc alii Italicam nuncupant, ex Cimerio Campaniæ vicinio Cumis oppido.

Quinta Erythræa, quam Apollodorus Erythræus affirmat ſuam fuiſſe civem, eamque Graiis Ilium petentibus vaticinatam, & perituram eſſe Trojam, & Homerum mendacia ſcripturum. At vulgatior opinio eſt, hanc fuiſſe ante obſidium Ilii, ſic *Euſebius* in primam ætatem urbis Romæ, regnumque E Romuli refert.

Strabo verò non unam ponit Erythræam Sibyllam, nam priſcam quandam facit, & aliam recentiorem Athena in nomine, quæ fuit Alexandri temporibus.

Lactantio, Sibyllam Erythræam Babylone natam eſſe ait, & ſeſe Erythræam appellari maluiſſe.

Sexta Samia, de qua ſcripſit Erathoſtenes in antiquis annalibus Samiorum ſe reperiſſe ſcriptum, dicta eſt nomine Pytho.

Septima Cumana nomine Amalthæa, quæ ab aliis Herophile, vel Demophile nominatur.

Suidas Hierophilem dicit, eamque novem libros attuliſſe ad Regem Tanquinium Priſcum, ac pro eis trecentos Philippæos poſtulaſſe, Regemque aſpernatum pretii magnitudinem, & mulieris inſaniam deriſiſſe, illam in conſpectu Regis tres combuſſiſſe, ac pro reliquis idem pretium poſtulaſſe. Tarquinium multò magis mulierem inſanire putaſſe, quæ denuò tribus aliis exuſtis, cum in eodem perſeveraret, motum eſſe Regem, ac reſiduos trecentis aureis emiſſe. Hujus facti meminerunt plerique Scriptores. *Plinius, Dionyſius, Solinus, Gellius, Servius*, qui Tarquinio Superbo libros oblatos, non Priſco tradunt, & *Plinius* tres libros, non novem ponit, ac combuſtis duobus, tertium ſuperfuiſſe.

Suidas novem libros ſcribit eam attuliſſe peculiarium oraculorum, hoc eſt, ad certum aliquem ſpectantium populum, ſed combuſtos tantùm duos. F

Solinus hujus ſepulchrum dicit viſi in Sicilia. Cæterùm non hanc nominat Heriphilem, Erythrææ namque nomen hoc dat, quam antiquiorem facit Cumana.

Euſebius Herophilem nec Etythræam, nec Cumanam autumat ſed Samiam, vixiſſeq; Numa Rege. Fuit & Eriphile Amphiarai conjux Adaſtri, ſoror.

Octava Helleſpontica in agro Trojano nata vico Marmiſſo circa oppidum Gergethium, quam ſcribit *Heraclides Ponticus* Solonis, & Cyri fuiſſe temporibus.

Nona Phrygia, quæ vaticinata ſit Ancyræ.

Decima Tyburs nomine Albunea, quæ Tyburi colitur, ut dea, juxta ripas amnis Anienis, cujus in gurgite ſimulacrum ejus inventum eſſe dicitur, tenens in manu librum. Has Sibyllas tradit *Varro.*

Fuerunt & aliæ nonnullæ, ut Colophonia, quæ dicta eſt Lampuſia Calchante nata, cujus vaticinia, & reſponſa carmine ſunt olim lecta. Et Sibylla Eliſſa, cujus etiam Vaticinia extiterunt carmine.

Venit etiam in numerum Sibyllarum Caſſandra Priami filia, G quæ ruinam patriæ ceciniſſe dicitur, & dediſſe reſponſa conſulentibus. Et Epirotica Sibylla Theſprotiæ nata, quæ oracula ſcripſit, & Theſſalica Manto Tireſiæ Thebani filia.

Poſſet & Sibylla dici Carmentis Arcas Evandri mater, & Fauna Fauni Regis ſoror, & conjux.

Dubitavit *Didius Grammaticus*, an Sappho Sibylla fuerit, ut eſt apud Senecam in ſtudiis liberalibus: etſi alii eo loco non Sibyllam, ſed publicam legunt.

Verùm quænam fuerit Sibylla, cujus carminibus fata Romana continebantur, reliquiſiſſe Varronem ipſum ferunt, multi Cumanam putant, ut Virgilius, qui eam Deiphoben Glauci filiam vocat. Glaucus enim Vates fuit, qui artem Apollinem ipſum docuit, niſi quis Deiphilem malit dicere, nam & hanc ajunt libros attuliſſe ad Tarquinium Priſcum, quos in ſe in Capitolio condiderit, quam Solinus dicit quinquageſima Olympiade rebus Romæ interfuiſſe.

VATICINIA DE CHRISTO. H

Meſſiæ adventum non ſolùm à Prophetis apud Judæos, verum etiam à Sibyllis feminis virginitate florentibus apud Ethnicos, Deus voluit nuntiari.

Unde Magnus Conſtantinus in oratione ad Sanctorum cœtum: Sibyllam, inquit, ego beatam puto, quam Servator vatem ad divinandam de ſua in nos providentia delegit, &c.

Sibyllæ Paulus Apoſtolus *apud Clem. Alex. l.6. Stromat.* Hyſtaſpem adjungit, quæ apertè de Chriſto ſcripſerit.

Quamobrem operæpretium erit, earum nonnulla Vaticinia è graviſſimis petita Scriptoribus hoc loco conſcribere.

De feliciſſima Chriſti ætate vaticinatam Sibyllam liquet ex illo carmine principis Poetarum:

Ultima Cumæi venit jam carminis ætas.

Deſcripſerat enim Cumæa Sibylla feliciſſimam Chriſti ætatem, omnibus bonis ſpiritualibus redundantem. Eam ob

Q cauſam

cauſam Magnus Conſtantinus Imper. in oratione habita ad
A cœtum Sanctarum Virgilii verſus de Chriſto intellexit: Tiberii, inquit, tempore Salvatoris adventus mundo eluxit, & ſanctiſſimæ Religionis myſterium vigere cœpit, & nova ſecuta eſt populi propagatio, de qua arbitror Poetam ita ceciniſſe:

Jam nova progenies cœlo dimittitur alto, &c.

Reliqua item carmina de Chriſti adventu exponit. Immò putat optimus Imperator, Maronem Poetam Chriſti adventum cognoviſſe, videlicet ex Sibyllinis verſibus. Vidit, credo, Poeta (ait Conſtantinus) beatum, & eximium adventus Servatoris myſterium.

D. etiam *Auguſtinus l.10. de Civitate Dei, c.27.* carmina illa ejuſdem *Virgilii*:

Te duce, ſi qua manent ſceleris veſtigia noſtri
Irrita, perpetua ſolvent formidine terras.

Chriſto aſſignat, & Sibyllæ dictum cenſet continere. De Chriſto, inquit, etiam Poeta nobiliſſimus, poetice quidem, quia in alterius adumbrata perſona veraciter tamen ſi ad Chriſtum referas, dixit:

Te duce, ſi qua manent ſceleris veſtigia noſtri,
Irrita, perpetua ſolvent formidine terras.

B Hoc non à ſeipſo dixiſſe in illo verſu indicat.

Ultima Cumæi venit jam carminis ætas.

Unde hoc à Cumæa Sibylla dictum eſſe, incunctanter apparet, ait S. *Auguſtinus*.

Nomen Chriſti Sibylla acroſtichido, id eſt, multorum verſuum literis initialibus prædixit. Si primas literas ſumas, hæc verba afficis. Ἰησοῦς Χριστὸς Θεοῦ υἱὸς σωτήρ, hoc eſt, Jeſus Chriſtus Dei filius ſervator.

Carmina de judicio conſcripta ſunt, extantque *apud Auguſt. l.18. de civit. Dei, c.23. & in orat. adversùs Paganos & Judæos*, earumque hic eſt tenor.

Judicii ſignum tellus ſudore madeſcet.
Et cœlo Rex adveniet per ſæcla futurus,
Scilicet in carnem præſens ut judicet orbem.
Unde Deum cernent incredulus atque fidelis.
Cæſum cum Sanctis, ævi jam termino in ipſo.
Sic animæ cum carne aderunt, quas judicet ipſe.
Cum jacet incultus denſis in vepribus orbis.
Exuret terras ignis, pontumque, polumque
Inquirens, tetri portas effringet Averni.
C *Sanctorum ſed enim cunctæ lux libera carni*
Tradetur, ſontes æterna flamma cremabit.
Occultos actus retegens, tunc quiſque loquetur
Secreta, atque Deus reſerabit pectora luci.
Tunc erit & luctus, ſtridebunt dentibus omnes.
Eripitur ſolis jubar, & chorus interit aſtris.
Solvetur cœlum, lunaris ſplendor obibit.
Deiiciet colles, valles extollet ab imo.
Non erit in rebus hominum ſublime, nec altum.
Jam æquantur campis montes, & cærula ponti:
Omnia ceſſabunt, tellus confracta peribit.
Sic pariter fontes torrentur, fluminaque igni.
Sed tuba tunc ſonitum triſtem demittet ab alto
Orbe, gemens facinus miſerum, varioſque labores:
Tartareumque chaos monſtrabit terra dehiſcens.
Et coram hic domino reges ſiſtentur ad unum.
Decidet è cœlis ignisque, & ſulphuris amnis.

Conſtantinus M. in orat, citata, putat, hanc acroſtichi-
D dem à Cicerone Latinitate eſſe donatam. Perſpicuum, inquit, eſt, Ciceronem hoc poema, cùm fortè legiſſet, in Latinum convertiſſe ſermonem, ſuiſque ſcriptis attexuiſſe. Et *apud Tullium* nullibi extant hæc carmina: *Libro tamen de divinatione* de acroſtichide Sibyllæ ſic ſcribit: Non eſſe, inquit, illud carmen furentis, cùm ipſum poema declarat, tum ea, quæ ἀκρόστιχις dicitur, cùm deinceps ex primis verſus literis aliquid connectitur, id certè magis eſt attenti animi, quàm furentis. Hæc ille.

Iſaia c.11. Chriſtum florem appellavit è radice Jeſſe, conſentit Sibylla, cujus, *teſte Lactantio Firm. lib.4. de vera Sapientia*: de Chriſto hæc ſunt verba:

ἀνθήσει δ᾽ ἄνθος καθαρόν.

Id eſt: Florebit flos purus.

Dicitur flos à Sibylla Chriſtus, dicitur quoque.

πάντα λόγῳ πράττων. πᾶσάν τε νόσον θεραπεύων,

Hoc eſt: omnia verba faciens, cunctiſque morbis ſanitatem afferens.

De excitatis à Chriſto mortuis, & aliis miraculis, ſic illa:

νεκρῶν ἀνάστασις ἔσται
καὶ χωλῶν δρόμος εἰς ὠκύς, καὶ κωφὸς ἀκούσει,
καὶ τυφλοὶ βλέψουσι, λαλήσουσ᾽ οὐ λαλέοντες. E

Hoc eſt. Mortuorum reſurrectio erit, & claudorum curſus velox, ſurdus audiet, cæci videbunt, muti loquentur.

Rurſus de miraculis:

κύματα πεζεύσει, νόσον ἀνθρώπων ἀπολύσει,
στήσει τεθνηκῶτας, ἀπώσεται ἄλγεα πολλοῖς
ἐκ δὲ μιᾶς πήρης ἄρτου, κόρος ἔσσεται ἀνδρῶν.

Fluctus perambulabit, morbos hominum ſolvet, excitabit mortuos, dolores pellet à multis. Ex uno autem fonte panis ſatietas erit virorum.

His ultimis verbis, de auguſtiſſimo Euchariſtiæ Sacramento veriſimile eſt vaticinari Sibyllam, quod fons eſt cœleſtis panis univerſam ſatians Eccleſiam, niſi velis de miraculo agi, quo quinque hominum millia quaſi ex quodam panis fonte, in manibus Chriſti, & Apoſtolorum ſcaturiente ſaturati ſunt. Id clarius his verſibus complexa eſt:

εἶν ἄρτοις ἅμα πέντε, καὶ ἰχθύεσσι δοιοῖσιν
ἀνδρῶν χιλιάδας ἐν ἐρήμῳ πέντε κορέσσει.
καὶ τὰ περισσεύοντα λαβὼν, μετὰ κλάσματα πάντα,
δώδεκα πληρώσει κοφίνους: εἰς ἐλπίδα πολλῶν.

Hoc eſt: In panibus ſimul quinque, & piſcibus duobus, hominum millia quinque in deſerto ſaturabit, quæque ſuper fuerint F accipiens, poſt fragmenta omnia duodecim cophinos implebit in ſpem multorum.

Chriſti verò paſſionem admirabiliter prædixit.

De alapis, & ſputis hæc:

Εἰς ἀνόμους χεῖρας, καὶ ἀπίστων ὕστερον ἥξει,
δώσουσι δὲ θεῷ ῥαπίσματα χερσὶν ἀνάγνοις.
καὶ στόμασιν μιαροῖσι, τὰ πτύσματα φαρμακόεντα.

Hoc eſt: In manus iniquas, & perfidorum veniet, dabunt Deo alapas manibus impuris, & ore immundo ſputa virulenta.

De admirando ſilentio.

Sed in his affectus tacebit, ne quis agnoſcat, quod verbum unde venit, ut mortuis loquatur.

De flagellis.

δώσει δ᾽ εἰς μάστιγας ἁπλῶς ἁγνὸν τότε νῶτον.

Dabit in flagella ſimpliciter caſtos humeros.

De corona ſpinea:

καὶ στέφανον φορέσει τὸν ἀκάνθινον.

Et coronam feret ſpineam.

Item Synagogam increpans, quòd Deũ ſuum non agnoverit. G

Αὐτὴ γὰρ σὺ ἄφρων τὸν θεὸν οὐκ ἐνόησας.
παίζοντ᾽ ἐν θνητοῖσιν νοήμασιν, ἀλλ᾽ ἐξ ἀκάνθαις
Ἔστεψας στεφάνῳ. φοβερὴν τε χολὴν ἐκέρασας.

Ipſa tu inſipiens, Deum tuum non cognoviſti, ludentem in mortalibus cogitationibus, ſed ſpinis coronaſti corona, horribileque fel miſcuſti

De fellè item, & aceto:

Εἰς δὲ τὸ βρῶμα χολὴν, εἰς δίψαν ὄξος ἔδωκαν.
τῆς ἀφιλοξενίης ταύτην δείξουσι τράπεζαν.

In cibum fel, & in ſitim acetum dabunt, in hoſpitalitatis hanc oſtendent menſam.

Quod autem dixit Iſaias, Vidimus eum, & non erat aſpectus, noviſſimum virorum virum dolorem, &c. Sibylla hoc carmine complectitur.

οἰκτρὸς, ἄτιμος ἄμορφος, ἵν᾽ οἰκτροῖς ἐλπίδα δώσει,

Miſerandus ſine honore, ſine forma, in miſerabilibus ſpẽ dabit.

De ſolis miranda defectione, & veli ſciſſione.

ναοῦ δὲ σχισθήσεται πέτασμα, καὶ ἤματι μέσσῳ H
νὺξ ἔσται σκοτόεσσα, πελώριος ἐν τρισὶν ὥραις.

Templi ſcindetur velum, & medio die nox erit tenebroſa ingens, tribus horis.

De reſurrectione die tertia.

καὶ θανάτου μοῖραν τελέσει τρίτον ἦμαρ ὑπνώσας.
καὶ τότ᾽ ἀπὸ φθιμένων ἀνακύψας εἰς φάος ἥξει.
πρῶτος ἀναστάσεως κλητοῖς ἀρχὴν ὑποδείξας.

Et mortis ſortem finiet, tribus diebus dormiens, & tunc à mortuis excitatus in lucem veniet, primus reſurrectionis vocatis principium oſtendens.

Ἀλλ᾽ ὅτε ταῦτ᾽ ἅπαντα τελειωθῇ ἅπερ εἶπον,
εἰς αὐτὸν πᾶς λύεται νόμος,

De abrogatione Moſaicæ legis:

Sed quando hæc omnia perfecta erunt, quæ dixi in ipſum, ſcilicet Chriſtum, ſolvetur lex tota,

Hæc omnia Græca carmina, quibus Chriſti paſſio, Reſurrectio, & miracula mirabiliter prædicta continentur, antiquiſſimus, & locupletiſſimus *teſtis Lactant. Firmianus*, Sibyllæ eſſe teſtatur,

teſtatur, & veluti ſagittas adversùs Ethnicorum incredulitatem
A jaculatur *l.4. de vera Sapientia*, non facturus niſi auctoritatis haberent pondus, veritaſque ſubeſſet.

Iidem Sibyllinis verſibus D. Augustinus, veluti è torrente ſumptis lapidibus frontem percutit Goliæ, in oratione contra Judæos, Paganos, & Arianos. Alios, inquit, verſus Sibyllinos Chriſti paſſionem apertius demonſtrantes, intentiſſimè audiamus.

In manus iniquas infidelium poſteà veniet.
Dabunt Deo alapas manibus inceſtis.
Et oribus immundis expuent ſalivas venenoſas.
Dabit autem in verbera omnino innocens dorſum.
Et colaphos accipiens, tacebit, ne quid agnoſcat,
Quod verbum, & unde venit, ut mortuis loquatur.
Et coronam ſpineam portabit.
In cibum autem fel, & ad ſitim acetum dabunt.
Inhoſpilitatis hanc monſtrabunt menſam.
Ipſa enim ſtulta Deum non cognoviſti.
Ludentem mortalibus mentibus, & ſpinis
Coronaſti corona, horridumque fel miſcuiſti,
Templi verò velum ſcindetur: & die
B *Medio nox tenebroſa nimis tribus horis.*
Et mortis fatum finiet, trium dierum ſomno ſuſcepto.
Et tunc à mortuis regreſſus in lucem veniet.
Primus reſurrectionis initium revocatus oſtendet.

Hæc omnia in dicta oratione citat S. Augustinus & *l.18. de Civit. Dei c.23.*

Extat quoque *apud Sozom. l.2. Eccl. Hiſt. c.1. & apud Niceph. l.8. c.9.* de Cruce præclarum hoc carmen:

Ὦ ξύλον μακάριστον ἐφ᾽ οὗ θεὸς ἐξετανύσθη·

O lignum beatum, in quo Deſu extenſus eſt.

Quantum verò auctoritatis habeat, oſtendit idem auctor iis verbis: Apud Græcos confeſſa res eſt, hoc eſſe Sibyllæ carmen: quare & lignum Crucis, & ejus veneratio à Sibylla ſignificata eſt. Hæc ille.

Magnus præterea Conſtantinus in oratione jam indicata Sibyllæ Erythrææ verba recitat, quæ deſiderium, quo flagrabat adventus Chriſti, patefaciunt: Erythræa (ait Conſtant.) etiam cum Deo ſic loquitur: Quid mihi Domine divinandi neceſſitatem imponis, ac non potiùs è terra in ſublime ſublatam, ad diem uſque ſanctiſſimi adventus tu me ſervas.

SIBYLLINI LIBRI.

C Libros Sibyllinos tanquam oraculorum principes, antiquitas ſemper venerata fuit. Ut è quibus prodigiorum, & eventuum ſignificationes, ac velut Dei voluntas exuebatur, patet ex *Livio l.3. & 7.* & ideò vocantur libri fatales, quia ob fata imminentia conſulebantur. *lib.42.* De eorum numero.

☞ *Vide initium hujus loci.*

A Quibus, et quando consulti?

Munus hoc conſulendi libros illos ſacros, fuit duumvirùm ſacrorum, quibus poſt ejectionem Regum civitas ex illuſtriſſimis delectis cuſtodiendos dedit, adempta omnibus poteſtate ſive ipſis eos videndi, aut conſulendi, ut refert *Dion. Halic. l.4.*

Huic muneri pro duumviris decemviri poſteà præfecti: iſque numerus uſque ad tempora Sillæ manſit, qui in ſua dictatura quindecimviros conſtituit ſacris faciendis, ut notat *Onuph. in l. Faſt.* de his, & de Sibyllis. Maximè autem, cum tetra prodigia nunciata erant, Sibyllinos libros adire, & inſpicere decemviri à Senatu jubebantur, quod ſæpè factum ait *Cicero 1. de Divinat.*

Pro aliis etiam gravioribus, ut cùm tres uno tempore
D Veſtales nobiliſſimæ inceſti cum equitibus Romanis pęnas dediſſent, ut memorat *Ovid. 5. Faſt. Plin. l.7. c.35. Val. Max. l.8. c.11. Julius Obſequens, lib. de Prodigiis*. Et tempore graſſantis peſtilentiæ *Livius l.5. 7. 41.* Et cùm portenta fierent, ac muri de cœlo tangerentur. *Cenſorinus lib. de die Natali, cap.6.*

Neque patiar, inquit, *Varro de re Ruſt. c.1.* Sibyllam non ſolùm ececiniſſe, quæ dum viveret prodeſſent hominibus, ſed etiam quæ cùm petiiſſet ipſa, & id etiam ignotiſſimis, ad cujus libros tot annis poſt, publicè ſolemus redire, cùm deſideramus quid faciendum ſit nobis ex aliquo portento.

Sibyllinos libros conſultos ſub Galieno Cæſare, pro peſtilentia ſedanda, & ſacrificium factum Jovi ſalutari, ut reſponſum erat, ſcribit *Jul. Cap. in Galieno*.

Sub Claudiani quoque tempore Marcomani cuncta vaſtabant. Inventumque, ut ſacrificia certa facerent, quæ Barbari tranſire non poſſent, ut refert *Flavius in Vita Aureliani*.

Dio Caſſius l.54. Hiſt. Rom. ſcribit, oracula Sibyllina conſulta fuiſſe de Pompejo à Romanis in regnum reſtituendo, & ita

reſponſum in his: Si Rex Ægypti auxilii alicujus indigens fuerit, ne ei denegaveris amicitiam. Et id populo per Catonem ſub E Cæſare Julio ominatum, cùm antea oraculum Sibyllinum non referretur populo, niſi Senatus edixiſſet.

Dionyſ. Halicarn. l.6. ſcribit initio belli contra Volſcos laboratum eſſe Romæ victus inopia, & magnum metum fuiſſe, ne in totum deficeret, terra fructus negante: quare Sibyllinos libros juſſu dictatoris fuiſſe inſpectos à ſuis cuſtodibus: & monentibus oraculis placanda eſſe numina, votum factum.

LOCUS SIBYLLARUM.

De Loco Sibyllarum variè fabulantus Veteres. Sententia cõmunior in Piceno eas habitaſſe circa montem Apenninum. In cujus editiſſimis jugis antrum illud horribile, quod Sibyllæ cognominant [Grotta de la Sibylla vulgò] atque Campos Elyſios fingunt. Vulgus enim in hoc antro Sibyllam quandam ſomniat, quæ hic regnum amplum magnificis, Regiiſque Palatiis plenum, hortis amœniſſimis conſitum, laſcivientibuſque puellis, & omnis generis delitiarum copia abundans poſſideat. Atque hæc omnia communicari cum iis, qui eam per hoc antrum, quod omnibus pateat, adeunt. Poſtquam verò per annum in eo permanſerint, liberam egrediendi facultatem (ſi velint) eis à Sibylla largiri prædicatur, atque ex eo, ad nos reverſus, fe- F liciſſimo deinceps toto vitæ tempore uti aſſerit. Hoc antrum noſtratibus quoque ſub nomine innotuit *Fravu Venus Berg*, quaſi dicas, Dominæ Veneris montem. Inde verſus quidam rhythmici Teutonici vulgò cantitantur de quodam parvo Daniele (ſic enim cantio eum vocat) qui poſtquam toto in hoc antro anno manſiſſet, ejus vitæ tandem pœnituit, eoque hanc ſuam Venerem deſerens Romam proficiſcitur, Pontificemque adit, & peccatum confitetur. Pontifex hoc peccatum minimè veniale credens, baculum, quem fortè effœtum, & aridum ad manus habebat, in terram defigens, ſua illi peccata remiſſum iri dicit, quam primùm hic baculus roſas ferret. Daniel ex hoc reſponſo de ſua ſalute deſperans, mœſtus abivit, denuoque (duobus ex ſorore nepotibus ſecum ductis) ad ſuam Venerem revertitur. Triduum verò poſt viſus eſt baculus efloreſcere: quæſitus ubique terrarum Daniel, ſed nuſquam apparuit. Creditur enim, eum reliquum ſuæ vitæ terminum in antro hoc finiviſſe. Hæc hujus Cantilenæ hiſtoria, digna eſt, cujus fides huic ſuæ Sibullæ, aut Veneri imaginatæ deferatur. *Hæc Abrahamus Ortelius in ſuo orbis terræ Theat. Tab. de Teriitorio Senenſi.* G

Signum.

☞ *Pete ex Loco de Inſignibus, Signis, Monumentis.*

* Signati.

Qui Vocentur.

Signatos communi vocabulo dicimus eos: quos natura notabili aliquo defectu in corpore notavit, & velut ſignavit ſic, ut juſta membrorum ad invicem proportio, vel integritas ei deſit.

Cur, juxta commune Proverbium, Cavendi.

Galenus, atq; Hippocrates cenſent, eos, qui naſcuntur monſtroſi, aut deformes etiam animi plerumque vitiis laborare, ac ferunt Ariſtotelem in ore habere ſolitum, Cavendos, quos natura notavit.

Immò *Franc. Faleſius* ſcribit, legibus civilibus cautum eſſe, ut ſi duo homines inciderint in criminis ſuſpicionem, is primùm torqueatur, qui ſit aſpectu deformior. Cujus legis ratio eſt in H phyſiognomia. *Eccleſ.* enim *c.13.* bonam faciem vocat veſtigium boni cordis. Hoc Albericum gentilem movit, ut dicat: Ego, ut illam partem divinatricem de vita, & morte condemno, & condemnatam cum reliqua omni divinatione puto: ita conjecturam iſtam de moribus reprehendere non poſſum. cujus & in judiciis nonnullum uſum eſſe animadverto. Quanta enim Ciceroni in Verrem, Vatinium, Piſonem, Antonium, alioſque hinc petita argumenta? Nonne ab imis unguibus uſque ad verticem ſummum (ſi quam conjecturam affert hominibus tacita corporis figura) ex fraude, fallaciis, mendaciis conſtare videtur, & interpretes juris utique ſervant, ut ſuſpectiorem habeant deformiorem, & in quæſtionibus ab eo tormenta incipiant.

Huc ſpectant verſus *Martialis de Zoilo*, ab externis notis, ad internos motus notantes: ut omittamus Therſitem *apud Hom.*

Crine ruber, niger ore, brevis pede, lumine læſus,
Rem magnam præſtas, Zoile, ſi bonus es.

Et Stobæus:

Faciem aſpectu deformem poſſides.

Mores etiamnum ejuſcemodi habes?

A unde diſtichon ex Græcorum Epigrammatum Anthologia tale factum eſt Latinum:

Clauda tibi mens eſt, ut pes, natura notaſque
Exterior certas interioris habet.

Palladius:

χωλὸν ἔχεις τὸν νοῦν, ὡς τὸν πόδα· καὶ γὰρ ἀληθῶς
εἰκόνα τῶν ἐντὸς σὴ φύσις ἐκτὸς ἔχει.

Ut pede, ſic animo es claudus: namque extera membra
Internæ mentis ſunt ſimulacra tuæ.

Hieronymus Adamus Bauczenus in Phyſiognomiā Ariſtotelis:

Principio rerum genitor cùm cuncta crearet.
Infixit mentis conſcia ſigna cuti.
Cui non vultus ineſt animi mutabilis index?
Pretereà innumeris ora peruſta modis?
Pallor amatorum, ſubitus rubor indicat iram,
Quæque venit caſta mente, pudicitiam.
Sunt ſua ſigna probis. nam conſentire videntur
Et mens, & corpus, ſunt quoque ſigna malis.
Illos diligito: ſed quos natura notavit,
Hos fuge: gens fœnum cornibus illa gerit.

B

SIGNATI VITIOSI. QUI IMPERATORES, PRINCIPES.

Nazian. in 2. orat. contra Julian. deſcribens geſtus ipſius, inquit: Naſus contumeliam, & contemptum ſpirans: figura vultus deriſionem ſignificans, quoquomodo variabatur. Riſus crebri altum crepantes, nutus, renutus, ſine ſermone. Quis ſingula deſcribat? Sæpè videns Julianum, edidi hanc vocem: Quantam peſtem Romana Monarchia nunc alit!

Exemplum etiam habemus in JOANNE Baſilide Tyranno Moſcorum, omnium crudeliſſimo, de quo ita ſcribit *Paulus Oderbonius*: Antiqui Vatis carmina eum Principem, non obſcuræ formæ, ad ingenii lineamentis exprimere videbantur: qui propriæ patriæ, Livoniæque præſertim, & Sarmatiæ ſummas clades eſſet illaturus, ſcribunt, ſtatim in illo prodigioſæ naturæ indicia apparuiſſe: omneſque pueri mores ſævum quiddam, & immane præ ſe tuliſſe: ita ut de illo nemo id dicere poſſet, quod de ſeipſo Jaſon dixit: Ajo, me afferre doctrinam Chironis, redeo enim ex antro, à Choride, & Phylyra, ubi me caſtæ Centauri filiæ educarunt, fuique ibi annis viginti, nec factum ibi, nec turpe dictum locutus ſum: Semio puer Baſilidis fuit ſtolidus, & monſtroſus, mores maligni, & perverſiſſimi: ex quiC bus magnates gentis de ingenio, & tota ejus vita conjecturam facientes, cum indito poculis veneno occidere ſtatuerunt: quando ab ejus dira poteſtate, & luctum, & calamitatem univerſis mortalibus præviderent.

VITIA SIGNATORUM EDUCATIONE EMENDATA.

Exemplum habemus in SOCRATE: Cùm enim ejus habitum coram Phiſiognomon inſpexiſſet: ſtupidum eum pronunciaſſe dicitur, & bardum; quod jugula concava non haberet; obſtructas ejus partes, atq; obduratas eſſe dixit. Addidit etiam mulieroſum, in quo Alcibiadem cachinnum ferunt ſuſtuliſſe, cùm in eo nihil tale obſervatum eſſet. Nam & errata naturæ emendarat, & ex naturalibus cauſis nata vitia edomuerat, ac cōpreſſerat voluntate, ſtudio, & diſciplina ad eum modum, ut nemo unquam in eo, ullum veſtigium viderit.

Silentium.

☞ *Vide* TACITURNITAS.

DEFINITIO, & ETYMOLOGIA.

D SILENTIUM Græcè σιγὴ, σιωπὴ, Hebr. *Demaba*, Domitura, & *Dumam*, ſepulchrum, locus ſilentii, ubi corpora mortuorum perdomita ſilent: à verbo *Damam*, domitus eſt, redactus in alienam poteſtatem. 2. *Chereſch*, à verbo *Charaſch*, quod in 3. conjugatione eſt *Cheriſch*, tacitus ſecum cogitavit, ſiluit. Dicitur ſurdus *Chereſch*, quod auditus ejus ſileat. 4. *Scheket* quies tuta dicitur ſilentium, à verbo *Schekat*, quievit ſub ſcuto alicujus, ſecurè, & quietè vixit. Silentium certè eſt plerumq; modeſtis ingeniis ſcutum adverſus mundi tumultus tutiſſimum.

SILENTIUM, TACITURNITAS. QUOAD SUBJECTUM. QUID.

IN GENERE.

ANGERONA dea, præſes ſilentii, obſignato ore antiquitus efficta eſt, ſanctèque ſemper à Romanis culta, ut ſilentio apto nil melius eſſe oſtenderet. *Alex. l. 4. c. 16.*

IN SPECIE. Silere.

Religionis myſteria. E

apud ELEUSINIOS capitale erat, quicquam ex myſteriis in vulgus efferre. Pariter apud Romanos in ſacris Bonæ deæ. Hoc Interpretationem Pythagorici nominantes, nihil reſpondebant de divinis rebus, quoquo modo interrogarentur.

Numa Pompilius, cùm vaticiniorum plurima in Muſas referre conſueviſſet, unam ex iis præcipuè ab Romanis coli voluit de ſilentii ratione, Tacitam nomine. *Cælius l. 21. c. 45. A. L.*

Viſionem.

Samuel dormiens in tabernaculo, oſtenſam ſibi viſionem non indicavit Heli Pontifici, donec interrogatus, & adjuratus fuit ab illo, 1. *Reg.* 3.

Cùm Telemachus apud Homerum dixiſſet:

ἦ μάλα τὶς θεῶν ἔνδον οἱ οὐρανὸν εὐρὺν ἔχουσιν.

Ulyſſes pater ſubjecit:

σίγα, καὶ κατὰ σὸν νόον ἴσχανε, μηδ' ἐρέεινε·
αὕτη τοι δίκη ἐστὶ θεῶν οἳ Ὄλυμπον ἔχουσι.

Conſilium.

☞ *Conſule Locum Stratagematum, Conſilia ſua occultare.*

JUDITH vidua, obſeſſa Bethulia ab Holoferne duce Nabu- F chodonoſoris, civibus animum deſpondentibus, & poſt quinque dies ſe Holoferni dedituros dicentibus, principem urbis increpavit, qui Domino diem auxilii preſcriberet: ſe, Dei ductu, urbem liberaturam aſſeruit. Conſilium tamen ſuum nulli voluit revelare, donec Holofernis caput Bethuliam retulit. *Judith* 8.

Pylades apud Euripidem Oreſtem ſilere jubet, ne conſilia à mulieribus exaudiantur:

ὡς γυναιξὶ πιστεύω βραχύ.

Nam mulieribus fido parum.

Fama eſt, cùm adoleſcentulus etiamnum DEMETRIUS Poliorcetes ex Antigono patre quæſiſset, quando caſtra eſsent moturi? illum reſpondiſse ſtomachabundum: Times, ne ſolus turbam tu non exaudias? Uſque adeò conſilia ſua arcana habebat. *Plut. in Demetrio.*

CÆCILIUS Metellus, Macedonicus, cum in bello omnia proprio, & ſubito conſilio ageret, amico cuidam interroganti, Quidnam jam acturus eſſet, poſt Arbachos in Macedonia ſubactos? Tunicam, inquit, meam exuerem, ſi eam conſilium meum ſcire exiſtimarem. *Plin. cap. 61. de Viris illuſt. Plut. in Apoph.* G *Rom. Front. lib. & c. 1.*

Tiberius Cæſar. ☞ *Pete ex Apoph. infra.*

Belgæ, ſi quid publico conſilio ſtatuendum erat, miro ſilentio decernebant: ſi quis autem fremeret aliquo concionante, partes veſtis mulctabatur. *Alex. l. 4. c. 11.*

☞ *Arcanum commiſſum.*

☞ *Vide Tit. Fidei in arcano commiſſo.*

Peccatum, Crimen.

ORESTES ad Menelaum, rogantem Pyladem, an etiam particeps fuerit cædis Helenæ, quam interemptam putabat Menelaus, inquit *apud Euripid. in Oreſte.*

θροεῖ σιωπῶν, ἀρκέσω δ' ἐγὼ λέγων.

Fatetur tacens, ſufficiam verò ego loquens.

TITUS Imper. morti proximus, in cœlum ſuſpiciens, immerenti ſibi vitam eripi conqueſtus fuit, nullius enim facti ſe pœnitere, præter unius, quod quale eſset, nemini unquam indicavit. *Servius.*

CAROLUS Magnus Imp. Ægidium eremitam, ut pro peccato ſuo occulto oraret, induxit, ejuſdemque pietate illud ſibi condonatum eſse ſcheda in altari reperta cognovit.

Hoſtium adventum. H

Cum apud AMYCLEOS ſubinde nuntiaretur hoſtium adventus, idque falsò, & ob eam rem civitas frequenter inani terrore quaſsaretur, lata lege cautum eſt, ne quis unquam hoſtis nunciaret adventum. Atqui poſt evenit, ut verè jam advenirent hoſtes. Quod cùm nemo nunciaret, propter legis interdictum, civitas de improviſo capta eſt. Hinc proverbium, ut dicerent, Amyclæ ſilentio periere, ſi cui ſua taciturnitas fuiſset incommodo. *Servius.*

PERSONAS. QUI

Monachi.

Quanta diligentia ſilentia ab Ægyptiis monachis ſervatum ſit, JOANNES Caſſianus de Cœnobiorum inſtitutis tractans teſtatur: Cùm ſolemnitates, inquit, quas illi ſynaxeis vocant, celebraturi conveniunt, tantum à cunctis ſilentium præbetur, ut cùm in unum tam numeroſa fratrum multitudo conveniat,

veniat, præter illum, qui conſurgens Pſalmum decantat in meA dio, nullus hominum penitus adeſſe credatur: ac præcipuè, cùm conſummatur oratio, in qua non ſputum emittitur, non excreatio obſtrepit, non tuſſis interſonat, non oſcitatio ſomnolenta diſſutis malis, & hiantibus trahitur, nulli gemitus, nulla ſuſpiria etiam aſtantes impeditura promuntur: nulla vox abſque ſacerdotis voce precem concludentis auditur, niſi fortè hæc, quæ per exceſſum mentis clauſtra oris effugerit, quæque inſenſibiliter cordi obrepſerit, immoderato ſcilicet atque intolerabili ſpiritus fervore ſuccenſo, dum ea, quæ ignita mens in ſemetipſa non prævalet continere, per ineffabilem quendam gemitum ex intimis, ac abditiſſimis pectoris ſui conclavibus evaporare conatur. Poſt hæc qualiter ſe gerant, deſcribit, dicens: Finitis itaque Pſalmis, & quotidiana congregatione (ſicut ſuperiùs commemoravimus) abſoluta, nullus eorum, vel ad modicum ſubſiſtere, aut ſermocinari audet cum altero: ſed ne quidem per totum diei ſpatium à cella ſua progredi, aut deſerere opus, quod in ea ſolitus eſt exercere, præſumit, niſi fortè cùm fuerint ad officium neceſſarii cujuſque operis evocati, quod ita explent foras egreſſi, ut nulla inter eos ſermocinatio penitus conferatur; ſed ſic unuſquiſque opus exequitur injunctum, ut Pſalmum, vel ſcripturam quamlibet memoriter recenſendo, B non ſolùm conſpirationi noxiæ, vel conſiliis pravis, ſed ne ocioſis quidem colloquiis ullam copiam vel tempus impartiat, oris pariter, & cordis officio in meditatione ſpiritali jugiter occupato. Summa namque obſervantia cuſtoditur, ne quiſquam, cum alio, ac præcipuè juniores, vel ad punctum temporis pariter ſubſtitiſſe, aut uſpiam ſeceſſiſſe, vel manus ſuas invicem tenuiſſe deprehendantur. *Marul. lib. 4. c. 6.*

D. Hieron. eo lib. quem *de Inſtit. S. Virg. ad Euſtoch.* ſcripſit, Pleroſque ſe in eremo reperiſſe teſtatur, qui per ſeptennium nullum prorſus verbum homini alteri emiſerant, ſcientes quòd non in multiloquio Dominus poteſt haberi. *Ibidem.*

D. Hieron. ad CELANTIAM ſcribens: Sit intentus, ait, ac vigilans, & adversùs peccata ſemper armatus animus tuus: ſermo in omnibus moderatus, & parcus, & qui neceſſitatem magis loquendi indicet, quàm voluntatem. Idem eas, quæ in monaſterio ſacris initiatæ, ſunt, inſtruens, etiam ſilentii tempora obſervare monet, dicens: Volo, chariſſimæ, ut in conventu veſtro ter aut pluries in hebdomada, exceptis feſtivitatibus, loqui omnino, niſi urgente cauſa perutili, & neceſſaria, nullatenus liceat, nec ſimul, nec cum aliis extra: Diebus verò omnibus, quibus & C pro remedio, & pro ſalute loqui conceditur, non ſingulis horis vacandum eſt verbis, quæ vix proferri ſine peccato poſſunt: ſed hæc inviolabilis obſervatio vigeat, quòd ſingulis noctibus poſt peractam horam completorii uſque poſt miſſam, & à tertiis uſque ad nonam, ſacra obſerventur ſilentia: quatenus & linguæ Deum laudandi concedatur opportunitas, & inutilia verba penitus abſcindantur. In choro verò Eccleſiæ ad divinas laudes parato, dormitorio, cœnaculo, clauſtro, ac capitulo, omni tempore loqui non deceat, niſi ea, quæ ordinata ſunt in laudibus Dei: ut jam & tempus, & locus religionis veſtræ prædicent ſanctitatem, & loquacibus compunctionem ingerant, & intrandi ad ſocietatem veſtram ſancta deſideria incitent, & affectus ad cœleſtia moveantur. *Ibidem.*

PAULUS monachus, cognomento SIMPLEX, Pauli primi anachoretæ diſcipulus, cùm quæſiſſet, eſſetne Chriſtus prior Prophetis? inſulſam interrogatiuncula m ſilentio diluere per triennium nemini quicquam proloqui eſt auſus. *Ibidem.*

PAMBO Abbas, cùm ipſe diſcere priùs quàm loqui propoſuiſſet, ad illum qui 38. Pſalmum ſibi legere cœperat: Dixi, cuD ſtodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea. Sat eſt, inquit, reliqua audiam, cùm iſtud opere implevero. Multo deinde tempore poſt reverſus, cùm interrogaretur: Cur tantùm ad magiſtrum redire diſtuliſſet? Nondum ſe illud, quod didicerat, perfeciſſe dixit: & Apoſtolicum eſſe præceptum: Eſtote factores verbi, & non auditores tantùm. Die vitæ ſuæ ſupremo affirmavit, ex quo eremum incolere cœpiſſet, nullum ſe unquam protuliſſe verbum, quod prolatum nollet. *Marul. l. 4. c. 6.*

Beonem Abbatem, in Thebaidis deſerto habitantem, in ſummo ſilentio vixiſſe accepimus, ita ut perquàm raró loqueretur, nec niſi quantum auditoris exigere videbatur neceſſitas taciturnitatem eadem opera ſervans, & ſimul officio fungens charitatis. *Ibidem.*

THEONEM in cellula ſua clauſum anno XXX. ſilentii habuiſſe continentiam perhibent: & quatum ea re profeciſſet miraculis poſteà oſtendiſſe, neminem non ſanum dimittendo, qui æger ad eum curationis gratia acceſſiſſet. *Ibid.*

In Tabernenſi monaſterio, quod in eremo Scytiotica poſitum erat, AMOS Abbas mille quingentis Monachis præfuiſſe dicitur. Et cùm tot eſſent, horis, quibus ſilentium indictum E erat, ſæpenumerò advenæ locum adeuntes, neminem ibi adeſſe putaverunt: donec ingreſſi, illos unumquemque ſeorſum in ſuis cellulis orantes, aut aliquid aliud facientes conſpicerent, adeò non ſtrepitus aliquis, non ſuſurrus, non ſaltem ſcreatus, audiebatur, denique multitudo ſolitudinem taciturnitate æquabat. *Ibid.*

AGATHONEM Abbatem lapillo aſſiduè ori indito tacere didiciſſe ferunt, idque ab eo annos tres obſervatum: ne etiam cùm fari vellet, expeditum ſibi foret. Legerat illud in Proverbiis: Qui cuſtodit os ſuum, cuſtodit animam ſuam; qui autem inconſideratus eſt ad loquendum, ſentiet mala. *Marul. l. 4. c. 6.* Dicebat, tria eſſe neceſſaria ad Dei cultum: Silentium, Orationem, & Manſuetudinem. *Raviſius de Temper. & Volat. l. 21. Anthrop.*

HOR Abbas per totam fermè ætatem unicè taciturnitatis munere donatus fuit. Tria enim ab eo commemorat *in ſua Hiſt. Herac.* Quòd nunquam ſit mentitus, nunquam alicui maledixerit, nunquam circa neceſſitatem locutus ſit.

ROMUALDUS Abbas, ordinis Camaldulenſis auctor, dum montem ſolitarius incoleret, ſeptenni ſilentio ſpiritalem Pſalmorum intelligentiam meruit percipere. Quos cùm argutè, eleganterque exponeret, dicere videbatur: Dedit mihi Dominus F linguam mercedem meam, & in ipſa laudabo eum. Poſt hæc etiam miraculis nobilitatus eſt; ut qui propter Deum tandiù tacuerat, propter eum ſigna loquerentur. *Ibidem.*

Philoſophi.

PYTHAGORICOS, Athenæus ſcribit, animantes quidem reliquas attigiſſe, verùm moderatè, quaſdam etiam immolaſſe: piſces autem nec guſtaſſe omnino, echemythiæ, id eſt, ſilentii ratione. *Cælius l. 13. c. 5. A. L.*

ZENO Citticus, ad quendam dicentem, breves eſſe Philoſophorum ſententias: Vera prædicas, inquit, oportet enim & ſyllabas illorum, ſi fieri poſſet, eſſe breves. Veritas multis verbis non eget: & rectiùs meminimus, quæ paucis verbis comprehenſa ſunt. *Eraſm. l. 7. Apoph.*

APOLLONIUS Tyaneus, quinquennium integrum ne verbum quidem locutus traditur. *Philoſtrat. in ejus vita.*

Medici.

Medicorum taciturnitatem jurejurando adſtringit HIPPOCRATES, ne ea, quæ celanda ſunt ægrorum vitia, quæ fidei concredita, cuiquam exoterico effutiant. G

Diſcipuli.

In PYTHAGORÆ ſchola quinquenne ſilentium indicebatur Auditoribus, quam ἐχεμυθίαν vocant, à cohibendo ſermone, ne quæſtionibus, & altercationibus implicarentur, neque à temeraria provocatione, ſed à ſobrio, & attento ſilentio ſapientiam auſpicarentur. *Laert. l. 2. c. 1.*

Reges.

Regium eſt apud INDOS Barbaros, aliena ſemper uti lingua, & in infantia gravitatem poſitam arbitrari. *Oſor. l. 6. rer. Em.*

Cardinales.

Quicunque in ſacrum Senatum purpuratorum patrum à Pontifice cooptantur, iis primo conſeſſu Pontifex os claudit, ut muto ſilentio ſeniores audire diſcant. Altero, vel tertio ex Patrum ſententia os illis aperit, & poteſtatem dat in Senatu, quæ ex dignitate Eccleſiæ videntur eſſe, modeſtè, & ſincerè proferendi. *Liber Ceremoniarum.*

Canonici.

Aſſumpti ad Collegium Canonicorum Antuerpienſium, ex vigore ſtatutorum, integro biennio arcentur à congregatione H ordinaria, & negotiis Capituli, ut intereà diſcant in ſilentio, quæ illis poſtmodum agenda. Pleriſque ea conſuetudo improbatur: at utilitate ſua, & ſecuritate non carere, experientia docet, præſertim cùm vel Juniores adſciſcuntur, vel indulto, aut privilegio accedunt, qui recentes è ſtudiis promoventur ad eam dignitatem, quorum fervor, aut quorum exiſtimatio, quam de ſeipſis habent, hac mora nonnihil retunditur, ut ad ſobrietatem ſapere aſſueſcant; & deferre illis, qui & ætate, & rerum uſu illis prævalent.

Judices.

Ἀρειοπαγίτου σιγηλότερος. i. Areopagita taciturnior, dicebatur qui commiſſum arcanum optimè contineret. Translata voce à vaſis ſolidis, nec ulla ex parte perſtillantibus. Athenis in Areopago cauſæ capitales audiebantur, idque noctu, magna attentione. Et fortaſſis nefas erat illis, quæ ibi fuiſſent acta, apud

vulgus effutire. Extant & hodie apud Veſtphalos reliquiæ generis judicum, Certi vulgò dicuntur. Qui in hunc ordinem admittuntur, magna religione adiguntur ad ſilentium. Eſt enim ratio quædam deprehendendi crimina, quam nullus intelligit, præter illos. *Eraſ.in Adag.*

Milites.

In TURCARUM caſtris noctu tam pertinax ſilentium, ut patiantur captivos dilabi, ne tumultus excitetur. *Cuſpin.* SOLYMANNO Turcarum Imp. triginta millibus hominum Rhodum ingreſſo, ne unum quidem verbum eſt unquam ex alicujus ore auditum, adeò ut milites per urbem incedentes, monachi *Obſervantes*, quos vocant, eſſe viderentur. *Jovius in ejus vita.*

Mercatores.

VENETORUM mercatorum mira in negotiando taciturnitas. Habent adagium etiamnum hodie. *Mutus mercator, & ſurdus.* His enim duobus breviſſimè, omnia ea, quæ in bono, & integro mercatore requiruntur, comprehendi exiſtimant.

Pueri.

THOMAM Aquinatem, dum inter ſcholaſticos verſaretur, naturaque taciturnus eſſet, à corporis habitu reliquis paulò obeſiore, Bovem mutum appellabant. Magiſter varò ubi ingenium illius diſputatiunculis experiri cœpiſſet, deprehendens quorſum ejus tenderent ſilentia, Bos iſte mutus, inquit, talem mox edet mugitum, ut ſonum ejus totus admiraturus ſit mundus. *Marul.lib.4.c.6.*

Mulieres.

PAULUS Apoſtolus, Mulieres, inquit, in Eccleſiis taceant. Non enim permittitur eis loqui, ſed ſubditas eſſe, ſicut & lex dicit. Si qui autem volunt diſcere, domi viros ſuos interrogent. Turpe eſt enim mulieri, loqui in Eccleſiis. *Idem ibid.*

MARIA Magdalena peccatrix, veniens ad pedes Domini in domo Simonis, lachrymis cœpit rigare pedes ejus. *Luc.7.* Similiter ſorori de ipſa conquerenti, nihil reſpondit. Diſcipulis indignè ferentibus effuſionem unguenti, & in eam fremPentibus, tacita pertulit. At Dominus pro ea reſpondit, & eam ubique defendit. *Luc.10.Matt.26.Mart.14.Joan.10.*

EURYCLEA nutrix Ulyſſem XX. demùm anno domum reverſum ex cicatrice, dum pedes ejus lavat, agnovit: & ne eum proderet, ſed ſilentium temeret, rogata, reſpondit:

ἕξω δ' ὡς ὅτε τις στερεὴ λίθος, ἠὲ σίδηρος.

Servi.

Apud Plautum in Bacchide Servus frugi ait. *Act.4.Scen.6.*
Scio me eſſe ſervum, neſcio etiam id, quod ſcio.

TEMPUS. QUANDO. IN

Precibus. Oratione ad Deum.

ANNA mater Samuelis Prophetæ, veniens ad tabernaculum Domini: loquebatur in corde ſuo: tantùmque labia ejus movebantur, & vox penitùs non audiebatur. *1. Reg.2.*

Lectione.

D.AMBROSIUS Mediolanenſis Epiſcopus tacitus legere conſueverat, ſervandæ vocis cauſa, quæ illi facillimè obtundebatur. *Auguſt.l.6.Confeſſ.c.3.*

Judicio.

SUSANNA, de flagitii crimine pertinaci ſilentio ſe purgavit, non meditata oratione. D.Ambroſium audiamus: Suſanna mulier tacuit, & inimicos ſuos vicit, non enim apud Danielem judicem verborum ſe ratione defendit, non patrocinii ſermone tutata eſt, ſed in ſancta femina, tacente lingua, pro ea caſtitas loquebatur. *Lud.Vives de Chriſt.ferm.lib.1.*

DEMOSTHENES cùm improbitatem Midiæ ſignificaret, & quàm contumelioſus, importunuſque civis foret, oſtenderet, docuit Stratonem, gravi injuria ab ipſo affectum, ne in judicio quidem audere quicquam contra illum loqui, & quàm malè acceptus ab eo eſſet aperire: tanta vis timoris eum oppreſſerat, tamque firma memoria in animo ipſius impotentiæ Midiæ adhæſerat. A ſilentio igitur illo Stratonis, innocentis civis invidiam facere Midiæ voluit, culpamque ipſius augere. *Victorius lib.1.Var.Lect.c.5.*

Convivio.

Cœnaculum, in quo ESSENI Judæi olim cœnare conſuevere, neque clamor unquam, neque tumultus inquietat: cùm etiam loquendi ordine aliis alii cedant, eorumque ſilentium aliis extra tectum conſtitutis arcanum quoddam videatur venerabile, Cujus quidem rei perpetua ſobrietas cauſa eſt, quodque apud eos edendi, aut potandi modus ſaturitate definitur. Cùm ſimul ſederint decem, nullus unus novem loquitur invitis. *Joſeph lib.2.cap.7.belli Jud.*

Ἑρμῆς ἐπεισελήλυθεν, id eſt, Mercurius ſupervenit, dicere conſueverant olim, ſi quando ſilentium oriretur in conciliabulo, vel convivio multorum, ſignificantes, non eſſe fas loqui, Mercurio præſente, qui ſermonis ſit auctor. Ominoſum & hodie putatur, ſi quando in cœtu, aut convivio, ſubitum omnium ſilentium fuerit obortum. *Plut.de Garrul.*

Simonidi in convivio aſſidebat Hoſpes nihil loquens. Ei Simonides: Si fatuus es, inquit, ſapientis opus facis: ſi ſapiens, fatui. *Plut.l.3.Symp.*

Provocatione.

Apud Homerum Iliad. η Hectore quemlibet è Græcorum Ducibus ad ſingulare certamen provocante:

— οἱ δ' ἄρα πάντες ἀκὴν ἐγένοντο σιωπῇ.
αἴδεσθεν μὲν ἀνήνασθαι, δεῖσαν δ' ὑποδέχθαι, id eſt,
— *tenuere ſilentia cuncti,*
Detrectare pudor, formido ſubire vetabat.

Eraſmus in Adagiis.

GALLIS via Salaria Romam petentibus, ad tertium lapidem, quidam Gallus pontem intermedium occupans, ingenti ſtatura alta voce fortiſſimum Romanorum ad ſingulare certamen provocavit. Ibi ſilentium aliquamdiù inter Romanos fuit, cùm certamen abnuere erubeſcerent, nec temerè quiſquam periculū ſubire vellet. Tandem T.Manlius L. filius à Dictatore licentia accepta, cum hoſte congreſſus, victor evaſit. *Gell.l.9.c.13.*

Obtrectatione.

XENOCRATES cùm maledico ſermoni quorundam ſummo ſilentio intereſſet, uno ex his quærente cur ſolus linguam ſuam cohiberet? Quia dixiſſe me (inquit) aliquando pœnituit, tacuiſſe nunquam. *Valer. Max.l.7.c.2.* Quod alii Simonidi tribuunt.

Pugna.

HECTOR *apud Homer. Iliad.1.* à Sarpedone ad opem ferendam vocatus, ne verbum quidem profert, non maledicit, non minatur.

ἀλλὰ παρήϊξεν λελιημένος.
Qui mage cominus inſiliit.

Jurgio, Rixa, Contentione.

TOBIA auditis verbis injurioſis ab uxore, non reſpondit: ſed ingemuit, & cœpit plorare cum lachrymis. *Tob.2.& 3.*

Cùm AGAR ancilla Sara dominam multis oneraſſet maledictis, Sara tacens ceſſit liti, & pergens in cubiculum domus ſuæ, devotè cœpit orare. *Tob.3.*

PERICLES conviciatorem è foro ad fores uſq; comitantem ne verbo quidem repulit, quin ſuo, ut illum redeuntem deduceret, imperavit. *Plut.*

Tortura.

Ægyptios ajunt patientiſſimè ferre tormenta: & citius mori hominem Ægyptium in quæſtionibus tortum, quàm veritatem prodere. *Ælian.l.7.Var.hiſt.*

FINEM. CUR. Silere præ

Sapientia.

DEMARATUS Spartanorum Rex in conſeſſu quodam rogatur, utrùm ob ſtultitiam, an ob ſermonis inopiam ſileret? At qui ſtultus, inquit, ne poſſit quidem ſilere. *Plut.in Lacon. Apoph.* Idem Soloni tribuit. *Laertius.*

Ira, indignatione.

PAZZII & SALVIATI contra Mediceos Florentiæ conjurarant, & Julianum Laurentii fratrem in templo interfecerant. Sed Medicum armis oppreſſi ſunt, & capti. Inter eos Frāciſcus Pazzius, conjuratorum princeps, cùm à multitudine irata, nullo non convitii genere afficeretur: nulla ratione, aut vi cogi potuit, ut verbum efferret: ſed obſtinato ſilentio, & defixis in eos oculis, à quibus vinctus trahebatur, crebra ab imo pectore ſuſpiria ducens, altam iratum molem animo premens, capitali ſupplicio affectus eſt. *Brutus l.6.hiſt.Flor.*

Metu.

Animadvertit C. JULIUS Cæſar unum ex omnibus Sequanis nihil earum rerum facere, quas cæteri facerent, ſed triſtem, capite demiſſo, terram intueri. Ejus rei quæ cauſa eſſet miratus, ex ipo quæſivit. Nihil Sequanus reſpondere, ſed in eadem triſtitia permanſit. Cùm ab eo ſæpius quæreret, neque ullam omninò vocem exprimere poſſet, Divitiacus Heduus reſpondit: Hoc eſſe miſeriorem, & graviorem fortunam Sequanorum, quàm reliquorum, quòd ſoli ne in occulto quidem queri, neque auxilium implorare auderent: abſentiſque Arioviſti crudelitatem veluti ſi coram adeſſet, horrerent. *Vict. lib.1.Var.lect.c.5.*

Pudore.

☞ *Vide Locum Moroſitatis, Pudoris ruſtici.*

Mulier in adulterio deprehenſa, coram Domino accuſata,

tacuit, Dominus autem pro ea locu tus eſt, & eam abſolvit. *Joan.8.*

Duo conſulares exercitus Romanorum à SAMNITIBUS ad Claudinas furcas circumventi, & ſub jugum miſſi, Capuam ante noctem ingredi noluerunt, incertum, ſociorum fidem veriti, an ut pudorem ſuum celarent. Ingredientibus ſenatus, & populus obviàm ſeſe effudit, multaque hortando, monendoque conſolati ſunt. Neque tamen ulla ſociorum comitas tanti fuit, ut aut in ſermonem prorumperet quiſquam, aut oculos attolleret. *Sabell.l.5.Enn.4.*

Summa fuit TIBERIO Gracho cum C.OCTAVIO collega in Roſtris ob legem agrariam concertatio. Tiberius videns legem ſe, in tribunatu exiſtente Octavio, perferre non poſſe: convocato populo conſcendit Roſtra, anniſuſque denuò eſt Octavium inducere ad deſiſtendum. Qui ut fuit inflexibilis, legem rogavit, qua Tribunatus ei abrogabatur: populumque extemplò miſit in ſuffragia. Cùmque omnes tribus præter unam in ſuam pertraxiſſet ſententiam, priùs precibus eum aggreſſus eſt, obſecrans, ne admitteret, ut tam acerbi ſibi, & triſtis cauſa actus inureretur. His precibus memorant, Octavio lachrymas obortas fuiſſe, ac perdiù ſilentium tenuiſſe: tandem converſis ad locupletes oculis, rubore, ac metu perfuſum, dixiſſe: Ageret quod ei viſum eſſet Tiberius. Ita perlata lege imperavit Tiberius uni ex libertis, ut Octavium de Roſtris detraheret. *Plut. in Tiberio.*

SEVERUS Sulpicius presbyter in Aquitania, cùm multa catholicè ſcripſiſſet (ut Gennadius presbyter tradit) in ſenectu te ſua à Pelagianis deceptus, & agnoſcens loquacitatis culpam, ſilentium uſque ad mortem tenuit, ut peccatum, quod loquendo contraxerat, tacendo penitus emendaret. *Marull.l.4.cap.6.ex Sigeb.Chron.*

Mœrore.

LAERTIUS Diogenes ſervavit perpetuum ſilentium, ex eo quòd matri ex ejus ſermone, ac tentatione mors accidiſſet: nec illum Hadrianus Imperator ad loquendum, etiam capitis pœna indicta, commovere potuit: cujus conſtantiam admiratus pepercit, & petivit data ei tabula, ut ad aliquot problemata propoſita reſponderet manu ſaltem. id quod non gravatim fecit. *Amantius.*

Valetudinis ſtudio.

Triennio Mecœnatem MESSIUM accipimus, ſilentium ſibi imperaviſſe, à convulſione reddito ſanguine. *Plinius l.28.c.6. nat.Hiſt.*

APOPHTHEGMATA.

PYTHAGORAS, Ejus de ſilentio ſcitè dicta ſunt hęc: Aut ſile, aut affer meliora ſilentio. Aut ſilentium tempeſtivum, aut orationem utilem habeas. Verba ſilentio, ſilentium tempeſtivitate claudas. *Stob.ſerm.34.*

SOCRATES admonebat ſuos diſcipulos, ut tria præcipuè in omni vita haberent: In animo Prudentiam, in vultu Verecundiam, & in lingua Silentium. *Max.ſer.12.*

PITTACUS præcipiebat, ut ea, quæ facturi ſumus, non aperiamus loquaciter aliis: ne, ſi malè perfecerimus, dignè derideamur. *Max.ſerm.20.*

SOLON, ſermonem ſilentio, ſilentium autem temporis occaſione obſignandum eſſe dicebat. *Stob.ſer.3.*

CHION rogatus, quid eſſet difficile? Arcanum, inquit, reticere. Tanta eſt linguæ, omnium maximè volubilis, incontinentia, cùm nil alioqui videatur facilius, quàm ſilere. *Laert.*

BIAS apprimè decorum illis eſſe ſilentium dicebat, quibus indecora impuraque eſſet vita. *Stob.*

DEMOCRITUS, cùm animadvertiſſet quendam multa imperitè diſputantem: Hìc, inquit, non dicendi peritus mihi videtur, ſed omnino tacendi imperitus. *Max.ſer.20.*

DIOGENES ad quendam, qui ſe contentioſè philoſophum profitebatur: Vah miſeri, inquit, cùm id, quod optimum eſt in vita philoſophi corrumpas, verbis tamen audes te philoſophum jactare. Eſt autem philoſophi etiam munus ſilere, cùm res reſponſione digna non eſt. *Stob.ſerm.31.*

CLEANTES, Cuidam ab eo, petenti dictum aliquod, quod crebro occineret filio ſuo, protulit ex Electa, σῖγα σῖγα λεπτὸν id eſt: Tace, tace, tenue veſtigium; Innuens pueris maximè convenire ſilentium. *Laert.l.7.* Idem, cùm quidam ad tacentem Cleanthem dixiſſet. Tu quid taces? atqui jucundum eſt, cum amicis confabulari. Jucundum quidem reſpondit Cleanthes: ſed quo jucundius eſt, eo magis in hoc amicis oportet concedere: *Stob.ſerm.31.*

ZENO Citticus, Ptolomæi legatis, qui multos eruditos ad convivium invitarant, percontantibùs, qui de ipſo regi ſuo eſſent renuntiaturi? ait, Vidiſſe vos ſenem, qui in convivio tacere noverit. Cùm enim cæteri ad oſtentationem multa dixiſſent, unus Zeno perpetuum tenuit ſilentium. *Laert.l.7.c.1.Sob. ſerm.32.Max.ſerm.20.*

SIMONIADES dicere ſolebat, nunquam ſe pœnituiſſe ſilentii, ſermonis autem ſæpiùs. *Anton. in Meliſſ.p.1. ſerm.73. Max. ſerm.20.*

Idem dicebat, eorum hominum, quorum indecora vita eſt, maximum decus eſſe ſilentium. *Ant. in Meliſſ. part.1. ſer.73.*

De XENOCRATE, Vide ſupra §. *obtrectatione*. Hoc *Plut. in libello* περὶ τῶν ὑγιεινῶν tribuit Simonidi. Sed *Laert.l.4.cap.2.* Xenocrati tribuit. & *Valer.Max.* etiam *l.7.c.2.*

Idem XENOCRATES ſingulas diei partes dividens in actiones certas, ſuam etiam ſilentio partem reddebat. Docens ſilentii rationes utique adhibendas eſſe. *Max. ſer.20.*

HERACLITUS rogatus à quibuſdam, cur taceret? Ut vos, inquit, loquamini. *Bruſ.cont. lib.6.c.6. exemplorum.*

ANAXARCHUS, Multarum rerum cognitionem homines aut valdè juvare, aut valdè lædere dicebat. Juvare enim virum dextrum, & commodum: lædere verò illum, qui facilè quemvis ſermonem, & apud quoſvis eloquitur. Oportet autem occaſionis modum noſſe, is enim ſapientis terminus eſt. Qui verò intempeſtivè cantilenam muſicam quamvis doctè cecinerint, illi non approbantur, ſed crimen ſtultitiæ ſubeunt. *Sob. ſer.32.*

ARISTOTELES Calliſthenem, auditorem ſuum, ad Alexandrum mittens, monuit, ut cum eo, quam rariſſimè, aut quam jucundiſſimè loqueretur, Quo ſcilicet apud regias aures vel ſilentio tutior, vel ſermone eſſet acceptior. *Plut. in Alex. Laert.in Ariſt.Val.Mal.l.7.c.1.* Idem, cum percontarentur, quid eſſet in vita difficillimum: Tacere, inquit, quæ loqui non decet. *Max.ſerm.20.* Idem dicere ſolitus eſt: Qui ſilere non novit, is neque loqui admodum ſcit. Nam quærente quodam, quæ res homini in vita eſſet difficillima? ait, Silere tacenda. *Stob.* Idem interrogatus, quam ob rem, cum alios doceret loqui, ipſe taceret? reſpondit: Cos quidem ipſa non ſcindit, cultros autem acuit. *Ant.in Meliſſ.p.1.ſerm.73.Verum hoc Iſocrati adſcribit Max. ſer.20.* Idem interrogatus à quodam, quis arcanum ſermonem continere poſſet? reſpondit: Qui carbonem quoque ignitum lingua retinere poteſt. *Ant.eod.ſer.*

DION naturam probè egiſſe dicebat, quæ geminas aures, & linguam unicam nobis fabricarit: quo ad audiendum eſſemus, quàm ad loquendum promptiores. *Stob.*

ISOCLATES, duo dicendi tempora ſtatuenda dicebat: Vel de iis, quæ certo novimus, vel de quibus dicere eſt neceſſarium: In his enim ſolis oratio ſilentio præſtat, in aliis melius eſt ſilere, quam loqui. *Max.ſer.10.*

Idem dicere ſolebat, improbi hominis, quaſi taciturni canis ſilentium magis, quàm vocem timendum eſſe. *Ibid.*

DEMOSTHENES, cùm adoleſcens quidam inter pocula multas nugas effutiret: & tacere nollet: adoleſcent, dixit, quomodo non didiciſti tacere ab illo, à quo didiciſti loqui? *Ant. in Meliſſ.ſerm.75.*

Apollonius, ſummo ſtudio admittendum dicebat, ne temerè nobis verba parum decentia elabantur. Conſtat enim, quàm inurbanum ſit ſilere non poſſe: tum effutire palàm cum turpitudine, quæ honeſtius obticuiſſes. *Stob.* Idem dicebat, cum in alios atque alios errores, & pericula homines elabi palam: ſit mirum, quantam ſecuritatem præſtare queat taciturnitas. *Stob.*

EURIPIDES, quidam opprobranti graveolentiam oris: Multa nimirum, inquit, in illo occulta computaveram: Significans, ſe poſſe continere arcana. Solent autem res in occulto congeſtæ computreſcere. *Eraſm.l.8.apoph.Idem, Demoſth. ab aliis attbibutum.*

EPICTETUS, in omni negotio nihil adeò proſpiciendum eſſe dicebat, quàm ut tutum, ſecurumque ſit, quod agitur. Eſt enim tutius, inquit, tacere quam loqui. *In Enchirid.*

ISOCRATES. Careo loquaculus volebat ab Iſocrate oratore erudiri. Sed is, duplicem mercedem mihi dari, inquit, poſcò, alteram ut loqui, alteram ut tacere diſcat. *Stob.*

PLUTARCHUS, Verborum, rei leviſſimæ, inquiebat graviſſima pœna, & apud Deum, & apud homines, comes eſſe ſolet: Silentium verò, cùm ubique culpa vacet, tum maximè in aliorum convitiis, neſcio quid egregium Socraticum, aut potius Herculeum præ ſe fert. Siquidem & Hercules, ne dici quidem odioſa verba curabat. *Lib.quomodo quis ab hoſtibus juvetur.*

PHILIPPIDI Athenienſi, qui ob virtutem charus, ac per quàm familiaris Lyſimacho regi erat, Lyſimachus cum dixiſ-

ſet, Num quid rerum ſuarum expeteret? reſpondit? Solùm, ò A rex, ne arcanorum tuorum quidquam mihi credas.

Epaminondas, audiendi potiùs, quàm loquendi cupidum eſſe hominem debere putabat: Quod ſciret; ex audiendo doctrinam, ex loquacitate autem pœnitentiam naſci. De eo etiam dictum, Neminem unquam viſum eſſe, qui plura ſciret, & pauciora loqueretur. *Plut.*

Hieron arcana enuntiantes injuriam facere dicebat eis etiam, quibus enuntiarent. Odimus enim non ſolùm eos, qui effutierint, verùm eos etiam, qui, quæ nolumus, audierint. *Max. ſer.* 20.

Cæcilius Metellus, cùm in bello omnia proprio, & ſubito conſilio ageret, amico cuidam interroganti quidnam jam acturus eſſet, poſt Abrachos in Macedonia ſubactos? Tunicam, inquit, meam exuerem, ſi eam conſilium meum ſcire exiſtimarem. Quo dicto docuit: non temerè animi noſtri propoſitum effutiendum eſſe omnibus, ſed ſilentium ad ſuum uſque tempus, *Plin. c.* 61. *de viris illuſtr. Plut. in apopb. Rom. Frontil. & c.* 1.

Cùm Catoni, qui poſt dictus eſt Uticenſis, etiamnum puero vitio daretur taciturnitas (nec enim cum pueris exercebatur, nec à quoquam audiri volebat) ait: Carpant taciturnitatem, modo vitam probent. Et addidit. Tum demum abrumpam hoc meum ſilentium, cùm ea loqui potero, quæ ſunt indigna ſilentio: *Plut. & Bruſ. lib.* 9. *c.* 6.

B Tiberius, Cùm aliquando percontaretur, cur ſua conſilia non cum aliorum quoque, qui ei non malè vellent, conſiliis communicaret? reſpondit: Principis animum aut nemini, aut paucis cognitum eſſe oportere. Senſit autem, non omnia credenda iis, qui ſe amicos eſſe venditent: quibus cùm aliquid ſecreti commiſeris, temerè rimarum pleni effutiunt: non cogitantes, principes loquaculorum garrulitate ſæpenumero aut periclitari, aut prodi prorſus. *Dion.*

Græcorum Comicorum hæ de ſilentio gnomæ circumferuntur.

Οὐδὲν σιωπῆς ἐστι χρησιμώτερον.
Vtilior haud eſt ulla res ſilentio.
Σιγὴ ποτ᾽ ἐστὶν αἱρετωτέρα λόγου.
Ἐνίοις τὸ σιγᾶν ἐστι κρεῖττον τοῦ λόγου.
Aliquando verbis melius eſt ſilentium.
Κρεῖττον σιωπᾶν, ἢ λαλεῖν, ἃ μὴ πρέπει.
Καὶ δεῖ σιωπᾶν καὶ λαλεῖν, οὗ χρεών.
Satius tacere, quàm loqui quæ non decent.
Et in loco tacere, & in loco loqui.
Ἢ λέγε τι σιγῆς κρεῖττον, ἢ σιγὴν ἔχε,
C *Sile, vel meliora loquere ſilentio.*
Πολλοῖς ἀπόκρισις ἡ σιωπὴ τυγχάνει.
Pleriſque reſponſi vice eſt ſilentium.
Εὐκαταφρόνητον ἐστὶ σιγηρὸς τρόπος.
Taciturnitas eſt plurimis contemptui.
Ἡ γλῶσσα πολλῶν ἐστιν αἰτία κακῶν.
Pleriſque dat lingua malis originem.
Ἡ γλῶσσα πολλοὺς εἰς ὄλεθρον ἤγαγεν.
Ploroſque lingua funditus peſſumdedit.

☞ *Vide Locum de Taciturnitate. Item in Loco de Religioſis Tit. de Religioſo ſilentio.*

Simiæ.

☞ *Vide Loca materialiter conſiderata.*

Divinatio. Venatio. Exercitatio. ☞ *Vide in Locis propriis.*

Similitudo.

Definitio, et Etymologia.

D Similitudo, Græcè, ὁμοιότης, & ὅμοιος, ſimilis dicitur. Eſt autem ſimilitudo relatio æquiparantiæ: non tamen ſemper denominat utrumque extremorum, ſed tantùm quando forma eſt æqualiter, & eadem ratione in utroque extremorum, *ex B. Thom.* 1. *part. q.* 4. *art.* 3.

Ovid. 2. *de Pont.* 5.

Scilicet ingeniis aliqua eſt corcordia junctis.
Et ſervat ſtudii fœdera quiſque ſui.
Ruſticus agricolam, miles fera bella gerentem,
Rectorum dubiæ navita puppis amat.

* Apophthegmata.

Proconſul Quidam Romanus in Sicilia, conſpicatus quendam adoleſcentem, admodum ſui ſimilem, rogavit ſimilitudinis cauſam, num pater ſuus nunquam adiſſet Siciliam? At meus, inquit, Romam frequenter acceſſit. Locum retorſit Siculus, nihil veritus ſecures, ac virgas proconſulis. *Bruſ. l.* 9.

Augusto Cæſari perquam ſimilis Romam venerat, & ita ſimilis, ut omnium ora in ſe converteret. Produci ergo Cæſar hominem juſſit, viſumque interrogat: Dic (ait) adoleſcens, fuitne aliquando mater tua Romæ? Excepit Adoleſcens, & hunc in modum Auguſto reſpondit: Mater mea nunquam fuit Romæ, ſed pater perſæpè. *Macrob. Plut. in Rom. apopb. Eraſ. l.* 4. *apopb.* E

Personæ ejusdem similitudo. Tempore vel eodem.

A victoria Judæorum adversùs Aman auxilio Heſteris, uſque ad victoriam adversùs Antiochum, anni ſunt CCCXLIII. & utraque victoria obtigit 3. Idus Mart. qui Hebræis Adar dicebatur, ex quo Hebræi hunc diem magno habent in honore.

Hieroſolyma ab Herode rege capta eſt, M. Agrippa & Canidio Gallo coſſ. CLXXXV. Olympiade, menſe tertio, feriis, quibus ſolemne fit jejunium: tanquam recurrente in idem temporis momentum illata Judæis à Cn. Pompejo calamitate: nam & ab illo eadem diem urbs capta fuerat ante annos viginti ſeptem. *Joſephus l.* 14. *c. ult. Antiq.*

Ejuſdem anni eodem die Græci Mardonium cum trecentis Perſarum millibus ad Platæas, & ad Mycalen Tigranem, cùm 60. milibus ſuperarunt, utraque etiam pugna ad Cereris templa commiſſa eſt: illa manè, hæc veſperi. *Herod. l.* 9. F

Patavium à Maximiliano Imp. occupatum, receptum eſt à Venetis eo ipſo die, quo primò de Carrarienſibus captum fuerat, anno ab Urbe condita 982. cùm binos, & quadragenos dies in Maximiliani partibus fuit. *Bembus l.* 8. *Ven. Hiſtor.*

Carolus V. Imp. ferream coronam, unctionemque ſacram Bononiæ à Clemente VII. ſuſcepit, anno 1530. octavo Calendas Martii: pauloque poſt, videlicet ſexto ante eaſdem Calendas die, qui dies Cæſareæ majeſtati natalis erat, auream itidem coronam accepit, ut Longobardorum Rex, Romanorumque Imp. haberetur ab omnibus, qui jam tum ante decennium, vel circiter fuerat Aquiſgrani in Germanorum regem coronatus. *Surius in Comment.*

Diverso.

Arabia terra peſtilens humanis gentibus. Qua occupata Cham olim Noe F. malorum dæmonum cultum in orbem univerſum propagavit. Mahometus longo poſt temporum intervallo peſtiferum ſuum dogma ex hac tanquam arce ſpargere cœpit. *Sab. l.* 6. *Enn.* 8.

Fuit Trojæ equus ſemper exitialis. Ob Laomedontis equos primùm urbs capta eſt ab Hercule, & exciſa, deinde lignea effigie, pari eventu, venit in hoſtium poteſtatem; poſtremò Charidemi ductu, cùm equus ferro confoſſus concidiſſet, fuit jacens Ilienſibus, quò minus fores irruentibus obiicerent hoſtibus, G impedimento. *Sab. l.* 9. *c.* 4. *ex Plut. Sertor.*

Cantarri ultimi Hiſpanarum gentium domiti à Romanis, ultimi à Gothis ſubacti: iidem cætera Hiſpania amiſſa, Sarracenis ſoli omnium reſtitere: dubium caſu, an conſtantia gentis, & indomita vi, quæ aut vincere norit, aut cadere. *Sabell. l.* 9. *c.* 4.

Infeſta fuerunt Carthagini duorum Scipionum nomina: quorum is Punicas fregit opes, ille funditus evertit: reddidit hic Carthaginem tributariam, ille ſolo æquavit. *Sab. l.* 9. *c.* 4.

Bis Roma à Totila Gothorum rege obſeſſa eſt, bis fame fatigata, bis ab Iſauricis militibus noctu prodita. *Ful. l.* 1. *c.* 6.

Dissimilitudo personæ ejusdem. Tempore vel eodem, ejusdem personæ

Vita. Mors.

☞ *Huc refer exempla eorum, qui Natali die ſuo periere.*

Dignitas, Mors. H

M. Ant. Triviſanus, quo die Venetorum dux creatus fuit, eo poſt annum defunctus eſt. *Sab. ſupplem. l.* 29.

Victoria, Clades.

☞ *Huc ii, qui eodem tempore Victi rurſum vicere.*

Athenarum mœnia ſolo exæquavit Lysander anno ſeptimo, ac ſeptuageſimo poſt victoriam Græcorum Salaminiam. Addit Plutarchus in Lyſandro, utrumque cotigiſſe ſexta die menſis Munychionis.

Sunt initia belli Judaici, quo die, & hora ſeditioſi Judæi Hieroſolymis Romanum præſidium contra datam fidem interfecerunt, eadem Cæſarienſis Judæos omnes inquilinos ſuos ad internecionem ſupra XX. millia cæciderunt. *Joſephus l.* 2. *c.* 19. *Belli Jud.*

Accidit memorabili caſu, ut eadem hora, qua Florentini Mediceos

A Mediceos patria, domoque pellebant, ipſi quoque à Piſanis pari aſſerendæ libertatis deſiderio pellerentur. *Jovius lib.* 1. *Hiſtor.*

Diversio. Ejusdem personæ diverso tempore.

Probitas, Improbitas.

☞ *Vide Tit. Mores in melius, vel deterius mutati.*

Felicitas, Infelicitas.

☞ *Ex Tit. Felicitatis inconſtantia, transferantur exempla.*

Athenæ à Xerxes Perſarum Rege, inde à Mardonio incenſæ à Themiſtocle reſtauratæ. Bello Peloponneſiaco à Lyſandro Lacedæmonio denuò muri dejecti. Tandem Conon Athenienſis, cùm gratia valeret apud Perſarum regem, & ad revocandum ex Aſia Ageſilaum Græci Lacedæmoniis bellum intuliſſent, Perſico auro corrupti, patriam reſtituit. Fuit igitur illud fortunæ ludibrium memorabile, ut eadem urbs, quæ olim Perſarum manu deflagraſſet, captivis ejuſdem gentis manibus fuerit reſtituta, & mox à Lacedæmoniis exciſa, Laconicis ſpoliis reſarta, veterem recepit formam, & apparatum. B *Sab. lib.* 2. *Enn.* 4.

Himilco Carthaginenſis Gelam Siciliæ urbem obſidebat. Stabat tum haud procul extra Gelæ mœnia ſtatua Apollinis ærea miræ magnitudinis, quam inter ſpolia raptam Carthaginenſes Tyrum miſere. Hæc à Gelois olim ipſius Dei oraculo juſſis extructa, dedicataque eo loco fuerat. Tyrii verò, quo tempore ab Alexandro Macedone obſidebantur, eam contumelia affecerunt, utpotè, quæ pro hoſtibus contra ſe dimicare videretur. Capta urbe ab Alexandro, veluti Timæus tradit, ſimili, & ejuſdem nominis die, & hora, qua quondam Carthaginenſes Apollinem Gelois raptum abſtulerant, eidem ſimulacro per Græcos ſolemni admodum litatum ſacro, maximiſque muneribus, & multo thure gratificatum, perinde ac victoriæ, & urbis obtinendæ præcipuo auctori. *Diod. l.* 19.

Leontius præfectus militum ſeditione in populo concitata, Juſtinianum Imperatorem omnia alia metuentem comprehendit, ac, mutilato ad contumeliam naſo, propè exanguem Cherſonem in Pontum relegavit, & Imperium Callinico patriarcha probante invaſit. Triennio pòſt patrati ſceleris pœnas C dedit. Nam per tumultum à Tiberio Abſimaro captus, & pariter naſo mulctatus, in carcerem eſt conjectus. Imperium idem Tiberius tenuit. *Sig. lib.* 2. *reg. Ital.*

Servitus. Libertas.

☞ *Vide Tit. Victi, victores.*

Heraclius cæſar de Perſis, Coſroeque Crucem recuperaverat. At Heraclio Patriarcha Hieroſolymis à Saladino captis rurſus amiſſa eſt, Urbano II. Pontifice maximo ſancta urbs recepta: Urbano III. recidit in ſervitutem. *Æm. lib.* 3.

Imperium, Subjectio.

☞ *Vide Titulum Subjectionis.*

Amor, Odium.

☞ *Conſule Tit. Ex Inimicis amici: vel è contrà.*

Gloria, Dedecus.

☞ *Huc. Tit. Obſcuro orti loco, qui clari evaſere.*

Diversorum similitudo inter se.

Nullus eſt ferè titulus; in quo non ſimiles caſus vel Habituum, vel Actionum, & Paſſionum ſeſe offerant. Extat Plut. nomine Libellus de Græcorum, & Rom. comparatione: cujus nos exempla ſigillatim ad ſuos quæque locos retulimus. Pauca hìc exempli cauſa ſuffecerint.

D

Respectu personarum similium similes inter se Respublicæ.

Uti Romanam urbem Galli Senones, ita Venetam Pipinus Caroli Magni Imp. & Regis Gallorum F. ſub ipſa ferè initia oppugnarunt. *Sab. lib.* 2. *Dec.* 1. longiorem comparationem inſtituit, quæ eò eſt illuſtrior, quòd utriuſque urbis primordia à Trojanis deducuntur, Romæ ab Ænea, Venetiarum ab Antenore. Quod Romanis ab initio Hernici, Equi, & Volſci fuerunt, hoc Venetis Dalmatæ, Liburni, & Hiſtri, Graviſſimus illis Gallicus hoſtis, quibus omnia præter Capitolium ademit, nec his quidem omninò levis, quibus præter Rivumaltum nihil reliquum fecit. Formidabiles Latio Cimbri, Teutones, & Ambrones: Gothi, Longobardi, & Hunni Hadriæ non contemptibiles. Infeſta Latino nomini Carthago: infeſta & Veneto Genua. Verùm tum valdè ferox illa, cùm Philippum regem Macedoniæ ſocium, & Syracuſanos nacta eſt: hæc quoque nunquam ferocior, quàm cum Ludovico rege Pannoniæ E & Patavinis Claudiaco bello eſt uſa. Hoſtis Pyrrhus Romano, at Pœno mitior: nec Pipus Sigiſmundi Pannonii regis ductor Veneto amicus, ſed Ligure longè placabilior. Diutiſſimè ab illis cum Mithridate bellatum: nec ab his cum Philippo Vicecomite brevi tempore. Magnus Antiochus, Othomannus verò major. Verùm ſociale bellum illi, ac longè graviſſimum in Italia geſſere, at Veneti, ne non per omnia eorum æmuli crederentur, & ipſi in Ciſalpina Gallia omnes Italiæ opes non ſolùm ſuſtinuere, ſed utrorum eventus facilè declaravit, fregerunt etiam. *Sab. lib.* 1. *Dec.* 2. & 4.

Reges, Imperatores.

Antoninus Pius Imp. eloquentiæ fuit ſingularis, nitidæ literaturæ, ſobrius, mitis, largus, alieni abſtinens, omniaque cum menſura, ac ſine jactantia faciens: ut Numæ Pompilio honorum ſententia compararetur: utpotè, qui eandem felicitatem, pietatem, ſecuritatem, ceremoniaſque ſemper obtinuit. *Cuſp. & Suidas.*

L. Verus Imp. retulit, cùm aliis vitiis Neronem, tum no- F cturna evagatione in cives graſſabundus, quo contigit, ut ſæpè, quemadmodum Nero à validioribus afflictus, contuſa facie ſit domum reverſus. *Sab. lib.* 5. *Enn.* 7.

Otthocarus, & Joannes Boemorum reges, uterque gloriæ bellicæ avidus, periculorum contemptor, prodigus, ſucceſſu felix, in prælio uterque cæſus eodem die, D. Ruffo ſacra 26. Auguſti, ille quidem a Rodolpho I. Cæſare ad Lavam Moraviæ oppidum an. 1278. hic ab Edovardo Anglorum rege ad Creſſiacum an. 1346. *Dubr. lib.* 17. & 21.

Duo monſtroſa ſub Othone Magno acciderunt, & eadem ſub Maximiliano I. viſa ſunt. Primum, quòd miræ magnitudinis lapis tonitru è cœlo jactus, miraculum ingens hominibus dedit. Alterum, quòd notulæ crucis in veſtibus plurimorum apparuere, quaſi lepra ſordeſcentibus. Sub Maximiliano itidem ingens lapis ſpecies, ac formæ Græcæ literæ D. anno MCCCCXCII. in Enſisheym decidit oppido Alſatiæ, qui hodiè in æde ſacra cuſtoditur, à Sebaſtiano Ticione etiam carmine celebratus. Fuerunt item in pleriſque Germaniæ regionibus veſtes crucis ſigno notatæ, quæ magnum hominibus terrorem incuſſerunt, an. MDIII. *Cuſp.* G

Mahometes II. Turcarum rex, proſperrima fortunæ aura uſus eſt, animoque, ac ingenio, non gloriæ cupiditate Magno Alexandro perſimilis extitit. *Jovius in ejus vita.*

Augusti Imp. inter omnes Rom. Cæſares Fridericus III. imperii diuturnitate æmulus videri poteſt. Sic *Cuſp.*

Auguſto propior Fridericus Tertius orbem
Quinquaginta annis rexerat, atque tribus.
Sed tribus hic vita Auguſtum ſuperaverat: ævo.
Longior hic, ille eſt ditior imperio.

Reginæ.

Jezabel regina Iſraelitarum, Achab uxor, juſſu Jehu, qui regnum invaſerat, equæ indomitæ caudæ alligata, miſerèque lacerata eſt. 4. *Reg. cap.* 9. Viciſſim Brunechilda, Metenſium regina, equi indomiti caudæ alligata, & diſcerpta eſt, ob inaudita ſcelera, & decem reges extinctos. *Regin. lib.* 1. *Sig. Guagninus lib.* 2.

Duces bello clari.

Alcibiades apud Athenienſes, & C. Martius Coriolanus apud Rom. hoc commune habuere, quòd quando præſentes fuerunt, & exercitui præfuerunt, reſp. ſuas manifeſtè rexerint: & contrà manifeſtiùs depreſſerint, cùm deſciviſſent. *Plut. in* H *comparat. eorum.*

Lysandro Lacedæmonio L. Corn. Syllam conferens Plutarchus, colligit eandem, plura præclarè facta Syllæ eſſe, Lyſandri peccata pauciora: atque huic abſtinentiæ, & temperantiæ, artium illi bellicarum, & virtutis primatum tribuit.

Eumeni Cardiano, & C. Sertorio Romano commune hoc, quòd peregrini, & alienigenæ, & exules, gentium variarum, & fortium legionum, magnorumque exercituum fuerint ductores, ille quidem regni cupidus cum Antigono certans, hic verò ſalutem ſuam contra vim Romanorum in Hiſpania defendens. Ambo inſignes fuerunt imperatores, & aſtuti bellatores, extra patriam peregrinantes, alienigenarum ductores, fortuna conflati aſpera, ad exitum & noverca. Siquidem circumventus uterque Inſidiis, atque quibuſcum hoſtes vicerat, ab iiſdem eſt oppreſſus. *Plutarchus in Eumen. procœmio.*

Timo-